

**Dissertatio inauguralis medica de apoplexia ... / auctor respondens  
Jacobus Henricus Christianus Adami.**

**Contributors**

Adami, Jakob Heinrich Christian.  
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hilligeri, [1728]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mrcdb42q>

**License and attribution**


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30776983>



Q. B. V!

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

# APOPLEXIA

QVAM

DIVINIS AVSPICIIS

PRAESIDE

N. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MEDIC. SENIORE ET h. t.

DECANO

PRO DOCTORIS GRADV

*Ad d. Junii Anni MDCCXXVIII.*

PVBlice AD DISCEPTANDVM

PROPONET

AVCTOR RESPONSVRVS

JACOBVS HENRICVS CHRISTIANVS  
ADAMI,

LVCCAVIA LVSATVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.)



opiniore, dubitabit. Venit mihi hoc loco in mentem recordari Medici cuiusdam Londinensis, eiusque præstantissimi, qui a Coll ga suo GVALTERO HARRIS interrogatus, quare, cum alios morbos tam feliciter, tantaque nominis gloria pertractauerit, solos capitis affectus prætermittat, nec de iis quicquam in publicam lucem edat, nihil aliud causatus esse dicitur, quam quod eorum persanandorum rationem nondum penitus perspectam exploratamque haberet. Quæ vox, uti summam ingenui animi laudem meretur, ita omnes Medicos officii monet, ut eorum morborum indolem, origines, atque causas, variosque euentus, & efficacem medendi rationem eo diligentius perquirere, omnibus ingenii nervis conmittantur. Principem fere locum ex his tenet Apoplexia, velox & truculentum malum, quod ilico nonnunquam, & præter omnem spem expectationemque homines iugulavit. Videas enim nonnullos, qui, antequam de villo morbo cogitauerunt, ex hoc attonitos concidere, atque oculi ictu omnem mentis vitæque usum perdere, alios, qui lati beneque valentes lectum ingressi erant, mane in eodem, sed exanimis & interemptos reperiri, alios, quibus cum mitius agit, adeo tamen dissolui, ut, si a cordis & pulmonum qualicunque motu discesseris, mortis imaginem repræsentare videantur. Quapropter dignum ego hoc argumentum existimaui, quod data differendi copia pluribus in præsentī persequerer, & quantum per ingenii vires licuit, accuratius enuclearem. Quanquam enim iam alios in eodem explanando versatos esse non ignoro, non tamen satis causæ fuit, quare consilium mutarem. Nec forsan aliis præpostere, & actum velut agere videbor, cum, si qua alia in doctrina, in hac profecto multa supersint, quæ illustrari, augeri & novis subinde locupletari accessionibus queant. Operæ autem me facturum esse pretium putaui, si ea, quæ historia morbi complectitur, ex celebrium medicorum fide percenserem, & deinceps ad suas quod-



quodque causas remocarem, nexumq; omnium eruerem, tandem vero idoneam morbi, quoad licet, propellendi rationem, atque remedia etiam nonnulla, nostris in terris non adeo cognita, explicarem. Multa esse, quæ copiosius edifferere, multa, quæ addere potuissem, ingenue fateor. At vero veniam mihi daturum esse Lectorem Benevolum plane confido, si meminerit, arctos admodum, & angustos esse limites, quibus eiusmodi, qualem iam molior, libellus, circumscribi solet. Quod reliquum est, DEVM precor immortalem, ut hanc quoque operam meam quantulamcunque faustam felicemque, & auspiciatam esse iubeat.


I.

**A**Tque ut nunc ad ipsum, quem exponendum suscepi, morbum progrediar, ordineque agam, primo quidem loco, ut accuratam apoplexiæ rationem, veramque ideam euolvam, distinctiusque proponam, necesse erit. Enimvero, re diligentius expensa, per apoplexiam <sup>a)</sup> quam latini etiam sideratio-

A 3

a) Vocis huius origo ἀπο τῆ ἀποπλήττειν repetitur, quod percutere Græcis denotat, quoniam apoplexia tacti ilico instar victimæ ad aram, unico ictu, clava, vel securi percussæ, prosternuntur. Mos enim antiquis fuit, ad aras Deorum, quos victimis placaturi erant, animalia unico ictu ita percutiendi, ut in terram confestim prociderent, & quæ a victimario ita cæsa extemplo prosternebantur, proprie percussa dici consueverunt. A quo ritu nomen Apoplexiæ, quod eadem velocitate hominem aggreditur, ortum esse docte notavit NYMANNVS de Apol. pag. 2. HIPPOCRATES quidem apoplexiæ nomine, nonnunquam solam paralyfin complectitur, e. g. Aph. VI. 56. VII 40, ut præter alios inprimis FOESIVS in Oeconom. Hippocr. p. 79. notavit, & nonnulli apoplexiam paralyfin uniuersalem, paralyfin autem apoplexiam particularem non immerito dici posse existimant, cum CAMERAR. in Systemate Cautel. Med. c. VIII. Patbol.





tionem b) neruorum resolutionem c) morbum attoni-  
tum

*Pathol. pag. 272.* At vero, quamuis propinquam inter se habeant cognationem, ita, vt iam olim ARETÆVS, ἀποπληξίν, παραπληγίν, πάρεσιν, παράλυσιν, ἅπαντα τῷ γένει τωυτά dixerit *Diuturn. Lib. I. c. 7.* in permultis tamen a se discrepant, atque interest omnino, vt accuratius distinguantur.

b) Græci etiam ἀστροβολισμόν inde vocant, ac si infausti, & pestilentis cuiusdam sideris afflatu oriretur. Atque hoc malo affectos ἀστροβλήτες, latini sideratos, dicunt. Quamuis his vocibus alius interdum significatus tribuatur. Hinc illustrantur duo MARTIALIS versus, alter *Lib. II. Epigr. 86.*

Sidere percussa est subito tibi Zoile lingua,  
quem etsi JO. RHODIVS in *Ind. ad Scribonii Largi Compos. Med.* de linguæ paralyti, & BECMANNVS de *origin. lat. lingu. voce sidus*, de eiusdem Sphacelo, rectius tamen LOTICHIVS in *not. ad Petron.* de Apoplexia explicat.

alter *Lib. VI. Epigr. 91.*

Hoc opus est, subito fias vt sidere mutus.

Ipsam vero nominis originem altius repetere iuuat. Antiquissimis enim temporibus, cum sacerdotes sibi solis sapientiam omniumque rerum cognitionem vindicarent, atque ægrotantium quoque curam susciperent, si quem morbum esse videbant, absconditum satis abstrusumque, qui tamen admirationem plebis & velut stuporem quendam excitabat, eidem Θεόν τι inesse, vel ex ignorantia, vel lucri causa vulgo persuadebant. Atque idem etiam de Apoplexia prædicarunt. Quippe veterum fuit opinio, sidera ipsa esse Deos, aut saltem Deos iisdem tanquam sedibus suis, & domiciliis vti, quam in rem NATHAL. COM. *Mythol. Lib. I. c. 7.* videatur. Hinc SCIPIO ap. CICER. in *Somn. Scip.* ea diuinis animata mentibus, perinde ac PLATO in *Timæo* ἐμψυχὰ animata, & ζῶα animalia vocat. Vt de Chaldæorum somniis taceam, de quibus THOMAS STANLEIVS in *Hist. Philos. Orientalis* consulatur. Et quemadmodum Philosophorum permulti inprimis Stoici putabant, animum humanum ex stellis veluti esse delapsum,



tum d) ictum sanguinis, & guttam e) nostrates vero den Schlag,  
die

lapsum, atque post mortem illas tanquam patriam suam repetere, vid. LIPS. *Physiol. Stoic. Lib. III. c. 8. & 9.* STEPHANI MORINI *Diff. Philol. V. & GATAKERI Annot. ad Marc. Ant. libr. πρὸς ἑαυτὸν Lib. II. p. 35*; ita plebi quondam præcipue persuasum fuit, mentes Imperatorum atque Principum, qui post obitum consecrati, relatiq; in Deorum numerum erant, ad sidera contendere, iisdem velut præesse, aut plane in ea mutari, vid. de hoc SVETON. in *Jul. Cæs.* cap. 88. DIO CASSIUS in *Adriano*, & SERVIVS in *Virg. Ecl. IX. v. 47.* Præterea multi ex veteribus arbitrabantur, fulmen ex igne stellarum esse conflatum, quod iu primis ex PLIN. *Hist. Nat. Lib. II. cap. 20.* patet, atque hinc fulmen sidus appellauerunt. Conf. HEVRNIVS *de morb. Cap. c. 23.* & ROLFINCK *de Aff. Cap. Diff. IX.* Imo omnes cœli iniurias, fulmina, pluvias, grandines, sideris cuiusdam infauti, & pestilentis nomine esse vocata a LOTICHIO *ad Petronianam locutionem*, velut pestilenti quodam sidere affluit, observatum fuit. Conf. & BARTH. *ad Claudii Panegyri. de IV. Cons. Honor. p. 30.* Quare cum inter utrosque, cum qui apoplexia, tum qui fulmine tacti prosteruntur, non minima intercedat convenientia, etiam apoplexiam siderationem dixerunt. Quum vero & fulmina ad Jouem fulminatorem, & reliquorum veluti Deorum principem, qui ea suis veluti ipsius manibus in terram iacularetur, referrent, ipsique fulmini aliquam diuinitatem tribuerent, & locos illo percussos sacros existimarent, ut vel pueris constat, ob hanc duplicem, quam commemoravi, causam, apoplexiæ Θεῶν τι inesse, eademque Deos ultores, ad coercendam hominum impietatem & castiganda scelera, uti, olim creditum fuit, ex persuasionem imprimis sacerdotum, quorum fraudes iam pridem notavit HIPPOCRATES *Lib. de morb. sacr.* vid. & LANG. *Lib. I. Ep. 25.*

c) Forſan, quod nervorum vis adeo minuitur, ac ſi a cerebro ſpinalique medulla auulſi ſolutique eſſent.

d) Attoniti proprie vocantur, qui fulmine afflati conſternatique ſtupent, vel quibus tantum vicini fulminis percuffio, aut fragor immanis, terrorem, ſtuporemque incutiunt. Vid. impr. CORN. CELS. *Lib. III. c.*



die Hand Gottes, f) den Tropff appellare consueverunt, illum intelligi video morbum, quo motus voluntarii, sensusque tum externi, tum interni abolentur, ex intercepto fluidi neruei per cerebrum, & nervos, ita, redituque ortum. g) Quam definitionem ita comparatam esse arbitror, ut ea omnia, quæ ad affectus naturam pertinent, complectatur. Etsi enim alii, & tantum non omnes, repentine, atque subito, & veluti temporis momento, omnem motus, sensusque, & cogitationis vim, velut extinguere, simul commemorant: id tamen cum non semper eueniat, rectius hoc loco omittendum existimaui. Videas enim nonnullos, in quibus non ilico, ut dicunt, sed sensim, sensimque & temporis successu, hæc omnia ita contingunt, adeo, ut ante motus vel linguæ vel brachii magis magisque desinat, postmodum autem malo adultiori, post aliquot horas dies, & hebdomades, & reliquæ partes, ipsum-

27. quem nunquam hac voce ita usum esse, ut apoplexiam morbum attonicum, sed potius ea affectos attonitos appellauerit GVSTAVINVS *loc. Select. 22. p. 152.* contra MERCVRIALEM monet.

e) Quod nomen inepta atque ridicula PARACELSI opinione nititur, quam *Lib. VI Paragraph. c. 1* proposuit, ac si tres in capite sanguinis guttulæ essent, quarum si dextra prolaberetur, paralytin dextri lateris efficeret, sin sinistra procideret, paralytin eiusdem lateris pareret, ex mediæ vero lapsu ipsa apoplexia oriretur.

f) Prior denominatio cum græca voce ἀποπληξίας multum conuenit. Vtraque vero eo respicere videtur, ut in declaranda morbi origine Deum velut ex machina aduocet, ad eundemque omne id sine rerum naturalium interuentu referat, quod apoplecticis euenire solet. Forte enim opinio hæc a priscis per manus tradita, ad nostram usque ætatem propagata fuit.

g) Hoc significatu iam veteres apoplexiæ vocem vsurparunt Ita PAVLVS AEGINETA *Lib. III. c. 28.* Κοινῆς ἀρχῆς τῶν νεύρων παθήσεως, καὶ δὲ πάντων τῶν κατὰ τὸ σῶμα μερῶν ἀπολεσάντων, τὴν δὲ κύνησιν αἵμα, καὶ τὴν αἰσθησιν, μετὰ τῆς τὰς ἡγεμονικῆς ἐνεργείας βεβλαάφθαι, ἀποπληξία τὸ πάθος καλεῖται.



ipsumque caput infestentur. Ita Theologum quendam Altorfium refert CL. PEYERVS, *b)* initio statim nec manum, nec linguam mouisse, cum tamen motus capitis, auditusque, & visus, per aliquot adhuc horas ipsi fuerint integri, donec & his tandem abolitis ægrotans vitam cum morte commutarit. *i)* Nec vero eorum probo sententiam, qui de morbi natura exposituri, motus cordis pulmonumque, quibus sanguis per corpus circumagitur, atque aër intra pulmones admittitur, saluos aut saltem superstites prædicant. Quod si enim ex tantum actiones, quæ voce in scholis Medicorum recepta, animales dicuntur, perdi solent, re ipsa patet, reliquas, quas vitales appellamus, superesse adhuc, nec esse opus, ut sigillatim de earum incolumitate exponatur, ubi propria & singularis morbi natura breui concisaque oratione explanatur. Verum si vel de his taceam, ii tamen facile refutantur apoplexia subito funesta, & quæ iclu velut oculi non sensus tantum, motusque, sed ipsam quoque vitam extinguit, motumque cordis, & respirationem suspendit, vel potius plane tollit, ut nulla eorum vestigia amplius relinquantur, quam veram esse apoplexiam, nemo rerum testimoniis conuictus, credo dubitabit.

## II.

Antequam v. ipse morbus tam truculentus aggreditur, quibusdam, quæ antecedunt, symptomatibus, pernicialem suam accessionem prænuntiare, & hominem monere velut periculi, aliquando solet. Sæpius enim totum corpus languidum maxime, torpidum, lassum, & plane stupidum redditur, ut iam olim magnus HIPPOCRATES annotatum reliquit; Artus tument aliquantum, & tremunt, atque singulari quodam formicationis sensu ac si formicæ hinc inde discurrerent, quem veteres forsan voce palpitationis, aut *παλμῆς*, & CÆLIUS AVRELIANVS saltus membrorum declarauerunt, infestantur, ipsisque velut in ossium medullis singulare

*Historia m  
& l. quide  
symptomat.  
precedentia*

*b)* In Diss. de Apoplexia, Helmst. habita.

*i)* Conf. & PELARGI *Obs. Clin.* p. 239. de anno 1721.



lare doloris pungentis, lancinantisque genus persentiscunt, & vbi non procul abest apoplexia, cum toto corpore refrigescunt. Caput vero vertigine tentatur varia, nec antemeridiana tantum, quam & alii frequentius experiuntur, sed pomeridiana etiam, & interdum nocturna. Dolores capitis, præcipue in occipite, oriuntur, iidemque ut plurimum subiti, acuti & profundiores, qui gravitate quadam & compressione agunt, diutiusque perseverant. Sopor ingrauescit & somnolentia, somnus fit admodum profundus, in eodemque interdum stridor dentium, atque incubus etiam frequentior, post eum vero sensuum hebetudo totiusque corporis languor potius, quam resectio euenit. Venæ tument jugulares, facies euadit coloratio, cum capitis plenitudine, & visus variis modis obscuratur. Namque nunc caligines quædam oboriuntur, nunc vero splendor & coruscationes generantur, & subito euanescent, iterum vero confestim redeunt, atque iterum etiam pereunt. Ipsi autem oculi pallidi turgidique comparent, & lacrimis, ut inuiti, perpetuis madent. In auribus susurri atque tinnitus oriuntur repentini, iidemque vel diutius persistunt, vel, si remiserint, frequentius reuertuntur. Ipsa etiam mens multum perturbatur, stupidi orque tristis & anxia redditur, memoriæque & ingenii vis sensim sensimque eneruatur. Neque minus lingua resolui videtur, ut nunc maxima, eaque subita motus impotentia, nunc balbuties, & vox tremula coniungatur, quæ si sæpius redeant, fere non fallax apoplexiæ accessuræ signum expromunt. Labia nonnunquam tremunt, mucusque & saliuæ largo in os prouentu deriuantur & sternutationis quidem conatus excitatur, sed ex impotentia non succedit. Respiratio ad minimos motus euadit anhelosa, cum anxietatibus angustiisque præcordiorum, & pinnis narium compressis *k)* Urina non longe ante lapsum excernitur, velut æruginosa, atra, modica, in qua velut farina quædam subsidet. Præter quæ omnia CÆLIUS adhuc AVRELIVS, frequentem indigestionem, difficilem excretionem, & tandem vehementem meningis saltum in pueris annotauit. *l)*

Quæ

*k)* BOERHAAVE. *Aphor. de cognosc. & curand. morb.* §. 1010. 1020.

*l)* *Lib. III. de Morb. Acut. c. 5.*



Quæ symptomata, nisi pleraque animaduertas, (omnia enim in vno eodemque homine vix conuenient) apoplexiam certo prædicere non licet. Ex iis enim nonnulla diu multumque, sæpius etiam ad vitæ exitum, sine magno sanitatis detrimento tolerantur, vt vertiginis auriumque tinnitus exemplo patet, neque vllam apoplexiam suo accessu portendunt. Quare non vnum alterumque, sed si plura simul compareant, ad animum reuocentur. Aliquando autem, etsi nihil horum antecesserit, atque homo sanus, beneque valens, de nullo morbo cogitet, ex improviso plane, & præter omnem opinionem attonitus redditur, atque inter epulas sæpe & pocula, choreasque & tripudia ita profternitur, vt sine omni motu sine sensu & mente iaceat, perinde, ac si fulmine, vel infausto quodam sidere, afflatus percussusque fuisset.

### III.

Ita enim agitur cum homine, vbi nunc ipsa apoplexia ad vigorem, vimque agendi maximam perducta ingrauescit. Quippe nisi sensim sensimque animales actiones cessant, (§. 1.) quod rarius euenire solet, homo, momento temporis, & antequam ipse animaduertat, miser, sui que impotens, cum clamore, vt plurimum simili eorum, qui strangulantur, in terram prolabitur & trunci stipitisque instar immotus iacet, ac profundissimi somni imaginem refert, difficilemque spiritum ore hiantem atque stertente ægre admodum trahit. De iis enim qui extemplo exanimantur, nihil amplius dicam, cum ad Medicorum curam porro non pertineant. Quibus vero vita adhuc ex graui periculo seruata fuit, iis tamen sensus motusque perit omnis, adeo, vt si crus, brachiumque vel confringetur, vel perforeretur nullum tamen ex sententia FORESTI, in affectu præcipue grauiori, sensus indicium prodituri essent. Vniuersi corporis membra languida atque flaccida, & velut relaxata euadunt, vt si spes brachiumque eleuetur, pondere suo, vt in cadaueribus, iterum delabantur. Nec lingua officium præstat, motu sermonisque usu, qui

*Symptom.  
præsentis  
plexiæ cor-  
niæ.*



in primo morbi insulta adhuc integer fuerat, destituta. *m*) Quamquam Celeberrimis MEDICIS VRATISLAVIENSIBVS, loque-  
lam per aliquot adhuc horas nonnullis superfuisse, obseruatum fu-  
it. *n*) Palpebræ retinentur velut suspensæ, & oculi rigidi, quasi vi-  
trei, & nec plane aperti, nec plane clausi conspiciuntur, ex qui-  
bus serum & lacrymæ nonnunquam manant. Liquidum, quod ori  
infunditur, nunc quidem per oesophagum demittitur, nunc vero  
etiam per os reddi & resilire solet. In nonnullis contorsio quæ-  
dam spasmodica os adeo constringit, vt magna opera vix ac ne  
vix quidem aperiri queat. *o*) Sæpius vomitu naturæ ope produ-  
cto, ingens materiæ etiam ad nigredinem corruptæ colluies elimi-  
natur ex ventriculo, nonnunquam & alui fit deiectio, & urinæ  
sua sponte excernuntur. Licet vero attonitus homo, si hanc eius  
faciem rite intuearis, mortuo non adeo dissimilis videatur, supersti-  
tes tamen semper habet motus, quibus vita proxime sustentatur &  
conseruatur, systolen & diastolen cordis, atque respirationem,  
etiamsi vtplurimum & hæ turbentur, simul, & peruertantur. Ac  
pulsus quidem interdum a naturali suo vigore parum recedit, non-  
nunquam plenior & satis validus, at inæqualis, interdum paruus,  
debilis atque crebrior reddi consuevit. Pari etiam ratione re-  
spiratio interdum parum mutatur, nisi quod aliquantum fiat  
difficilis, & cum stertore ac sibilo coniungatur. At vero in aliis  
magis anhelosa euadit & inæqualis, cum grauiori etiam  
stertore, ita vt æger propemodum suffocetur, atque pectus non  
aliter laboret, quam si vinculo quodam adstrictum, magnis licet  
conatibus se agitans, attolli tamen haud queat, spiritusque anxie  
& ægre multo cum sibilo elidatur. Atque vehementer errat Cl.  
BARTHOLOMÆVS de MOOR, *p*) quando Apoplexiam com-  
miniscitur, ab omni prorsus stertore liberam, cuius errorem docte,  
vt

---

*m*) Ob frequentiam huius symptomatis HIPPOCRATES morbum  
hunc frequenter ἀπώλειαν simpliciter dixit.

*n*) In Hist. morb. Vratislav. Ann 1702. p. 15.

*o*) Wepfferus in Historia Apoplectic. p. 443. edit. noviss.

*p*) Pathol. cerebr. c. 25.



vt solet, notauit ILLVSTR. BERGERVS, & hoc ipso a congeneribus morbis apoplexiam distingui ostendit. q) Qua in re consentientes sibi habet RHASEN r) CASPAREM HOFFMAN-  
NVM s) IUSTVM CORTNVMMIVM t) & LAVRENTI-  
VM denique BELLINVM u) qui omnes ab apoplexia sterto-  
rem nunquam abesse, grauitè pronuntiarunt. Neque audiendos  
eos esse puto, qui in apoplexia respirationem eo vsque imminui  
existimant, vt plane sublata esse videatur. Quod etsi apoplecticis,  
vbi morbus ingrauescit, euenire non ignoro, rem tamen tunc iam  
conclamatam esse, atque veram accessisse Syncopen, idoneis ex ar-  
gumentis arbitror. Vt adeo, qui & apoplexiam sine respiratione  
cordisque motu esse propugnant, morbos inter se diuersos commi-  
sceant, atque pessimo erroris exemplo turbent. Namque illud  
perfecto exercitatione artis, & crebra prudentum obseruatione sa-  
tis constat, siderationem non semper simplicem esse, sed nunc cum  
Syncope, nunc epilepsia, nunc catarrho suffocatiuo sociari, atque  
pro horum conditione adfectuum, multa adsciscere symptomata,  
quæ propria alias perpetuaque non habet.

IV.

Vt vero in viam redeam, atque singulares etiam, quæ mo-  
do adsunt, modo absunt, afflictiones recitem, videas in nonnullis  
faciem atque genas rubicundo & florido admodum colore esse suf-  
fusas, qui tamen ingrauescente morbo, & periclitante magis respi-  
ratione in obscuriorem & plumbeum mutatur. Vasa, quæ per fa-  
ciem, & imprimis circa tempora distribuuntur, distenduntur admo-  
dum & turgent, vt hinc totus vultus tumeat, atque ipse etiam  
sanguis ex ore, naribus atque auribus profundatur. In his liberi-  
or subinde respirandi vis superest, sensuum vero omnis vigor plane  
interceptus videtur. Antequam e vita decedunt, præter dentium  
stridorem, conuulsionibus agitantur variis, ita, vt pectus cum ster-  
tore rhoncho, & sonitu attollatur & eleuetur, atque ventriculus  
per vomitum inuertatur. Post obitum cruor ex ore & naribus a-  
liquan-

Symptom  
singularia  
plexia sa-  
nea.

B 3

q) *Diff. de Apoplex. §. 4.* r) *c. IX. ad Mansf. de re med.* s) *Animad-  
vers. in Mont. c. 14.* t) *de Morbo attonito c. 37.* u) *de morbis capitis p. 437.*



liquando manat, maxime, si sanguinis fluxus qui diu familiaris fuit, imprudenter prohibitus malum prouocauerit, & caput in mirificam magnitudinem distenditur. Atque in eiusmodi iacidunt apoplexiam temperamenti sanguinei, vel cholerici, vel ex utroque mixti, ætatisque virilis, & victus lautioris, & multo abundantes sanguine, homines, quam sibi maxime ex abusu vini liquorumque aliorum inebriantium, salutarium suppressione hæmorrhagiarum, & ira grauiori contrahere solent. Quod si, ut morbi grauitas postulat, observationes ex cadauerum hac apoplexia, demortuorum sectione natas, in subsidium vocamus, patet, vasa sanguifera, quæ per utramque meningem, atque ipsum cerebri corticem admirabili ordine feruntur, sanguine nunc liquido, nunc concreto distenta atque turgida, & velut variosa comparuisse, nunc vero dissolutis iis sanguinem modo inter cranium, & duram matrem, modo inter hanc & piam matrem, modo inter hanc & cerebrum, modo in huius anfractus & ventriculos, nunc in basin cranii delapsum, & interdum satis magna copia repertum esse, quod a locupletissimis testibus BARTHOLINO *x)* LVDOVICO DVRETO *y)* CAROLO FRACASSATO *z)* qui auctoritate magni Hetruriæ ducis corpora hoc morbo extinctorum diligenter secuit, immortalium meritorum Viro JO. JACOB WEPFFERO *aa)* qui incredibili inuustria, veram morbi originem atque sedem per incisiones cadauerum perquirere allaborauit, THEOPHILO BONETO *bb)* & literatissimo Italiæ Medico JOANNE MARIA LANCISIO *cc)* atque celeberrimo etiam PETRO DIONIS *dd)* & quis omnes enumeret? cumulatissime comprobatum fuit.

V. Vide-

---

*x)* Cent. II. Hist. Anat. 60. *y)* Comment. in Pranot. Coac. pag. 336.  
*z)* Diff. Epistol. de cerebro ad Malpighium. *aa)* In Historia Apoplecticorum  
 Amstelodami MDCCXXIV. denuo edita *bb)* In sepulchreto s. Anat. Pract.  
 Lib. I. Sect. II. *cc)* De mortibus subitaneis elegantissimo libro. *dd)* Sur la  
 morte subite.



V.

Videas contra & alios, in quibus longe diuersa eueniunt, *Sympton*  
ita vt facies pallida, & ex sanguis, & vasa nulla cernantur cruore *singulari*  
tumida, motus omnes vno velut impetu cessent, respiratio quam *itose.*  
maxime turbetur, cum stertore sibiloque longe vehementiori, to-  
tumque corpus tepore velut quodam perfundatur, & si mors pro-  
pius absit, spuma ex ore prodeat. Inuadit quam maxime homi-  
nes temperamenti phlegmatici, aut phlegmatico melancholici, æ-  
tatis senilis, otiosos, & corporis exercitationibus parum deditos,  
oriturque potissimum ex tempestatum vicissitudinibus, aerisque tem-  
perie humida & frigida, abusu eiusmodi alimentorum, catarrhali-  
um euacuationum suppressione, fitque tum maxime, vbi torpor &  
stupor, & aurium tinnitus, atque tumor interdum œdematosus an-  
tecessit. Ipsa etiam incisione illorum post mortem instituta, com-  
perimus, in eorum cerebro, non cruorem, sed humorem magis se-  
rosum, nunc limpidum, nunc glutinosum atque pituitosum, maxi-  
me in ventriculis esse accumulatum, vt præter alios a MARCEL-  
LO DONATO *ee*) COLVMBIO *ff*) HORSTIO *gg*) TVL-  
PIO *hh*) ROLFINKIO *ii*) FERNELIO *kk*) PLATERO *ll*)  
HENRICO AB HEER *mm*) RIOLANO *nn*) BONETO *oo*)  
& qui primo loco laudandus erat, nec vnquam satis collaudabi-  
tur, WEPFFERO *pp*) obseruatum esse constat.

VI.

Atque ex his, quæ hætenus (§. 4. 5.) attuli, satis opinor *Diuisio*  
cognoscitur, duplicis esse generis apoplexiam, aliam sanguineam, *plexia in*  
aliam ferofam, quarum illa sanguini florido & copioso, vasaque *guineam*  
cerebri nimium distendenti, hæc vero pituitæ potius & relaxationi *phlegma*  
*confirmat*  
partium

*ee*) Lib. II. Hist. Med. Mirab. c. VI. *ff*) Anatom. c. 15. *gg*) Observ.  
Anat. 3. *hh*) Lib. I. Obs. c. 3. *ii*) Lib. I. Diff. Anat. c. 13. *kk*) De abdit  
rer. caus. Lib. III. c. 15. *ll*) Practic. Lib. I. c. 2. *mm*) Obs. II. pag. 120.  
*nn*) Anthropol. p. 178. *oo*) l. c. *pp*) l. c.



partium debetur. Quamuis enim in operibus posthumis MAL-  
 PIGHII levis & puerilis hæc appelletur distinctio qq) aqtue ab  
 Illustri etiam BERGERO reprehendatur rr) quod vtraque apo-  
 plexia ex turbato per tubulos cerebri sanguinis circuitu suscitetur:  
 eam tamen merito retinendam esse iustis ex causis existimo, quod  
 ipsam & symptomatum, & causarum προηγμένων æque ac προκατα-  
 κτικῶν, euentuum, atque ipsius etiam curationis, diuersitas satis tu-  
 entur.

## VII.

*Apo-* Neque minus etiam vi eorum, quæ supra commemorauimus  
 (§. 3. 4. 5.) morbus attonitus recte vehementia, magnitudine, &  
 gradibus distingui solet, de quibus tamen recte constituendis ad-  
 modum dissentire Auctores animaduertas. Ex mente diuini senis  
 nostri in leuiorem atque fortiorem diuiditur; ss) GALENVS  
 vero tt) & cum quondam sub eius imperio vniuersa propemo-  
 dum res esset Medica, omnes, quos numero plurimos habuit, secta-  
 tiores, quatuor gradus proponunt, eosque a respirationis grauitate  
 distinguunt. Alii vero & tres, alii duos gradus comminiscuntur.  
 Quod si vero prout par est, grauiorum leuiorumque symptomatum,  
 atque imprimis stertoris nunc vehementioris, nunc lenioris rationem  
 habeamus, commode ad duas reuocari classes, & leuiorem esse  
 aliam, aliam grauiorem, facile patebit. Et leuioris quidem exem-  
 plum proponitur ab ILLVSTR. FRIDER. HOFFMANNO  
 PRÆSIDE MEO GRAVISSIMO uu) vbi quidam subita, & ino-  
 pinata vertigine correptus, perduto omnium vsu sensuum, velut  
 fulmine tactus in terram prostermitur, mox autem intellectu atque  
 sensu redeunte se iterum erigit, quamuis stupidus & temulentus a-  
 liquamdiu permansit.

## VIII.

Quæ enarraui symptomata, eo quoque pertinent, vt tum  
 ipse

qq) p. 85. rr) l. c. §. 13. ss) Sect. II. Aphor. 42. tt) Lib. III. de  
 loc. affect. c. 7. & 10. & Comment. ad modo dictum Hippocrat. locum. un)  
 Tom. IV. Med. Consultat. Dec. IV. cas. 4.



ipse morbus recte cognoscatur, tum ab aliis morbis, cum quibus aliquam videtur habere cognationem, dignoscatur. Certe enim tantum non omnes, qui subita morte discedunt, apoplexia interiisse, percelebrata vulgi sermonibus opinione feruntur. Imo interdum & Medici in eundem errorem consentiunt, & ubi repentina mors ægrotum iugulauit, veræ ignari causæ, semper Apoplexiam arguunt, quos propterea ut olim GVIDEON HARVEVS, ita nostra ætate ILLVSTRIS HEVCHERVS xx) optime reprehendit. Neque sane decet Medicum, morbos inter se diuerlos confundere, sed potius, quibus rationibus inter se distinguantur, accuratius intelligere, plurimum profecto interest. A Sycope igitur, ut ab hac exordiar, distinguitur apoplexia, primo, quod in illa motus cordis atque arteriarum plane desiisse videtur, vel maxime tamen minuitur. In hac vero tametsi infirmior pulsus redditur, sibi tamen magis constat, validiusque micat. Deinde in illa omnis respiratio pariter sublata videtur, quæ in hac tamen perdurat, vtut cum stertore & sibilo coniuncta. Postea illa iuniorum & senilem ætatem, nullo habito discrimine, hæc vero ut plurimum senilem, vel ei propinquam infestat. Demum in illa oculi cernuntur clausi, vel saltem torpidi, in hac vero rigidi, & vel plane, vel aliquantum aperti. Tandem in illa vultus expallescit non secus ac in demortuis, in hac autem, præcipue ea, quæ sanguinea vocari solet, genæ totusque vultus rubent. In epilepsia variis motibus caput & reliqua membra agitantur, & contorquentur,

C

secus

---

xx) in *Diff. de error. circa causas mortis subitæ* a §. 9. ad 13. Præclare HEVCHERVS notat, plebem & Medicos nonnullos, mortis subitæ causas non statim obuias, vel ab apoplexia, syncope, catarrho suffocatio vel a veneno etiam assumpto arcessere, vel externam aliquam violentiam, aut medentis Medici errorem, arguere, vel dæmonis præstigias, & illusiones, aut numen iratum justum scelerum vindicem, sine omni sæpius ratione & iudicio allegare. Eundo per classes singulorum optime demonstrat, ubi hæc illaue causa adducta fuerit, qua ratione aperuerit errorem Anatomicæ, quam optimam de causis mortis subitæ magistræ esse ostendit.



secus, ac in apoplexia euenit. Et quamuis vterque interdum affectus coniungatur, vterque tamen suis etiam notis & indiciis discernetur. Epileptici enim velut summa vi prosternuntur, cum apoplectici suo destituti robore, & fulcimentis, tantummodo prolabantur. Quæ suffocatione vterina laborant, acclamationes vocesque aliorum exaudiunt, & reliquis sensibus fruuntur integris, & intelligunt, quæ secum agantur, & acta referunt, multisque adeo causis ab apoplecticis distinguuntur. Quantum a catarrho suffocatio apoplexia absit, ille intelliget, qui lapsum apoplecticorum in terram, & spumam ex ore prodeuntem recordatur, atque simul qualemcunque sensus motusque, quæ in illo superest, incolumitatem cogitat. Lethargus paulatim ingrauescit, motumque cordis & respirationem parum mutat, eoque laborantes, quamuis somnolenti, excitantur tamen, & voce vtuntur libera. Carus itidem pedementum inuadit, atque febrim, vt a nonnullis vox ea vsurpatur, coniunctam habet, respirationem relinquit liberam, tactumque & reliquos sensus incolumes, remediisque interdum penitus persanatur, nec vlli morbo alii, vt in apoplexia haud raro fieri assolet, viam aperit. Vt vel exinde cognoscatur, quo discrimine morbi hi soporosi & attonitus distinguantur. In catalepsi rarissimo certe affectu, repentinus & fortissimus corporis rigor oboritur, per quem ægrotantes, in eo statu, quo prehensi fuerunt, detinentur, vt deinde totam staturam, gestus oris, oculorumque, & membrorum positus conseruent, velut in saxum & statuam conuersi. Apoplectici autem non toto obrigescunt corpore, sed flaccidi membris, & velut relaxati se amplius non sustentant, & tota mole corporis in terram prosternuntur.

## IX.

σε προν  
αφ.

Quotquot vero frequentius cum malo tam atroci, & exitioso conflictantur, eos omnes vel populari obseruatione liquet, esse homines virilis aut senilis ætatis, adeo, vt iam olim summus HIPPOCRATES noster illud inter senum morbos retulerit. γγ) Atque




que sanguinei quidem post annum quadragesimum, phlegmatici vero paulo serius & prouectioribus annis eo affliguntur. Quod idem iam olim, quem modo collaudauimus, HIPPOCRATES præclare intellexit, qui apoplexias ab anno quadragesimo ad sexagesimum esse crebiores, pronuntiauit. zz) Neque tamen propterea tenellos atque iuuenes plane immunes putemus, eos inprimis, qui multum in venis alunt sanguinem, eundemque vel spirituosus potus abusu, vel iracundiæ feruore incendunt. Ita, quamuis IUSTVS CORTNUMMIVS, vnicum tantum per vitam se vidisse referat Apoplexiæ exemplum in infante a) binia tamen CL. MEDICI VRATISLAVIENSES b) atque vnum AMATVS LVSTITANVS c) itemque HAGENDORNIVS d) commemorant. Atque CL. pariter MEDICI BEROLINENSES exemplum recitant pueri, qui ex fluore auris cessante apoplexia interiit e) TVLPIVS que f) & BINNINGERVVS g) de iuvene, & VRATISLAVIENSES de virgine quatuordecim annorum attonitis exponunt. h) Neque vero illud præteri debet, ad sanguineam apoplexiam pronos magis atque proclives esse homines sanguineæ aut sanguineo cholericæ temperaturæ, quum serosa in phlegmaticos atque serosos facilius incidat. Et quemadmodum habitiores atque obesos ætatem grandiore haud facile assequi, HIPPOCRATES iam i) atque GALENVS k) notauerunt; ita & apoplexiæ eos admodum esse obnoxios, binis exemplis, quæ apud TIMÆVM a GVLDENKLEE extant l) confirmatur. Atque notius propemodum est, quam vt multis exponi debeat, quantum momenti ad morbum data occasione producendum habeant sanguinis euacuationes, siue naturæ beneficio siue artis auxilio suscipiantur, si postquam antea diu multumque re-

C 2

petitæ,

zz) Sect. VI. Aph. 57. a) de morb. atton. c. 19. p. 74. b) Hist. Morb. Vratislav. A. 1702. p. 8. c) Cent. III. Obs. 22. d) Cent. I. Obs. 32. e) Act. Med. Berolinens. Vol. II. Dec. I. p. 39. f) Lib. I. Obs. c. 7. g) Cent. IV. Obs. 4. h) l. c. p. 9. i) Sect. I. Aphor. 3. k) de morb. different. Lib. III. c. 9. l) Lib. VI. c. 2. vid. & BARTHOL. Cent. I. Ep. 2. & FOREST. Lib. X. Obs. 70.





petitæ, & in consuetudinem versæ fuerant, deinceps intermittuntur. Quod si præterea ad corporis fabricam respicias, homines colli breuioris & torosi, atque sex sæpe vertebri tantummodo exstructi proni ad apoplexiam esse, a compluribus, sigillatim LOMMIO, *m)* WILLISIO, *n)* BOERHAAVE, *o)* VRATISLAVIENSIBVS *p)* memorantur. Patent eidem admodum, qui otio & torpori somnolentiæque indulgent, & nullis corpus laboribus commotionibusque exercent. Venit mihi hic in mentem recordari eorum, quæ celeberrimi, quos sæpius prædicaui, VRATISLAVIENSIVM MEDICI, ubi de attonitis sui temporis exponunt, simul notant, *q)* desides fuisse omnes & otio deditos, nec ullam inter ea, quæ ore assumerint, corporisque exercitationes, seruata esse proportionem. Nullo autem anni tempore corpora apoplexiam tam promte suscipiant, quam autumnis & hieme. Qua ratione pridem eam HIPPOCRATIS inter hibernos morbos numerat, *r)* atque illi etiam, qui in suis Ephemeridibus Medicis morbos ex aëris intemperie natos recensent, crebro admodum in hiemalium numero morborum apoplexiam enarrant. Denique non contemnenda videntur, quæ nonnulli memorant, esse quosdam velut hereditatis iure huic affectui destinatos, cum HOEFERVS familias quasdam propter natiuam cerebri imbecillitatem malo huic admodum obnoxias cognouerit *s)* illiusque sententiam suis alii auctores obseruationibus confirmant.

## X.

α προ-  
κτικαί. Quibus vero ex causis morbus hic excitetur, eas tot tantasque esse video, ut a quibus exordiar, ipsemet propemodum ignorem. Principem tamen locum merito suo sibi vindicant, quæ pestis & pernicies quædam nostratium perpetuo fuerunt, perpetuæ com-

---

*m)* *Obs. Med.* p. 72. *n)* *de Anim. brutor.* p. ll. p. 143. *o)* *Aphor. de cognos. & curand. morb.* §. 1010. *p)* *l. c.* *q)* *l. c.* *r)* *Aph. Ill.* 23. *s)* *Herc. Med. c. i.* p. 4. *vid. HILDESHEIM Specil. Vl. de Apopl.* p. 509. *FOREST. Obs. X. Obs.* 47. 80. *SENNERT. Lib. ll. Prax. Part. l c. ii.*



commestiones & ingluvies, atque ebriositas, vini, & omnium liquorum ardentium & inebriantium, maxime autem vini, quod vocant, adusti, abusus, quibus certe nostrates adeo delectantur, ut HENRICVS ab HEER non alia de causa Septentrionis populos apoplexiæ ut plurimum funestæ obnoxios esse existimet. t) Atque de Romanis suis, quotquot vidit, apoplecticis idem pronuntiat Illustris LANCISIVS, u) neminem eorum vitæ sobriæ admodum deditum fuisse. Nec alio, mea quidem sententia, exemplo clarius intelligitur vis eiusmodi liquorum, capiti perquam inimica, quam illius aulici, quem, Cl. PEYERVS ex Spiritus vini abusu in apoplexiam incidisse refert x) Cuius cum post obitum incideretur cadauer, vasa capitis non tantummodo haud parum erant tumida, sed ablato cranio discissisque meningibus ipsius spiritus vini odor copiose exhalabat, atque nauseam quandam & molestiam adstantibus excitabat, manifesto argumento, ipsas huius liquoris particulas quasdam usque ad tenuissimos cerebri tubulos venisse, atque tot in capite afflictiones demum mortiferas exfuscitasse. y) Alterum ab his locum tribuo variis sanguinis detractionibus, quas natura ad leuandum, & a variis morborum generibus liberandum corpus nostrum institueret solet, quibus non immerito & reliquas sanguinis eductiones arte factas adiungendas puto. Quarum illæ, si vel sua sponte desinunt, aut insigniter minuuntur, aut intempestiuis retinentur medicationibus, hæc vero diu multumque repetitæ, postmodum plane negliguntur, ingens sæpe, & quod vix expectaueris, detrimentum afferunt. Id quod cognitum fuit MEDICIS VRATISLAVIENSIBVS, qui candide fatentur, z) in sua vrbe vix vnum alterumque attonitorum fuisse elatum, qui non eiusmodi euacuationes cum naturales, tum arte factas neglexerit. Certe quibus in pueri-

C 3

tia

t) in *Obs. Med.* u) de *mort. subitan.* x) *Diff. de Apol. Helmst. habit.* y) Plura exempla apoplexiæ ex his causis ortæ vide apud FONSEC. *Lib. I. Conf. 89.* FOREST. *Lib. X. Obs. 69.* CAROL. PIS. *de colluv. seros. p. 88.* WEPFFER, *libr. cit. var. loc.* z) *Hist. morb. VRATISLAV. 1702. pag. 25.*





tia narium hæmorrhagiæ fuerunt frequentiores, quæ prouectiori-  
bus annis vel ex sanguinis per alia loca diminutione, vel aliis et-  
iam causis desierunt, in senectute autem redeunt, ii si vel plane e-  
asdem reprimant, vel sua sponte iterum cessantes non iuuent, cum  
aliis grauissimis capitis affectibus, tum inprimis apoplexia facile &  
præter opinionem diuexantur. Quod idem etiam fit, si hæmor-  
rhagia narium vsque ad senectutem perseverauit, nec vnquam in-  
termisit, postea vero imprudenter coercetur. Idque suo testatur  
exemplo aurifaber ille Lausannensis, qui cum identidem ab ineunte  
ætate sanguinis per nares fluxionem perpeffus esset, postea ad se-  
xagesimum annum prouectus, cum graue aliquod periculum sibi  
inde metueret, eandem quidem compescuit, sed funesto admodum  
euentu. Quippe ipsemet non ita multo post apoplexia grauiori  
oppressus vitam cum morte commutauit. aa) Hæmorrhoides,  
quarum salubritatem, nostra iterum ætate adeo prædicant, & ex-  
tollunt, dici non potest, quantam sanitati labem affricent, si vel  
sponte vel arte coerceantur, adeo, vt cum alios innumerabiles fe-  
re morbos, tum inprimis etiam apoplexiam pariant, alantque,  
quod vt iam olim magnus HIPPOCRATES tradidit, bb) ita ex  
recentioribus AMATVS LVSITANVS cc) SCHMIDIUS dd)  
atque Illustris cum primis LANCISIUS ee) suis obseruationibus  
confirmant. Neque alienum videbitur, vbi in hoc argumentum  
incidi, nouum aliquod funesti ex hæmorrhoidum perturbatione e-  
uentus exemplum exponere, quod mecum a perito prudentique  
Medico communicatum fuit. Quippe Chirurgus quidam Castren-  
sis annorum triginta sex, temperamenti cholero melancholici,  
laboribus itineribusque ab ineunte ætate assuetus, vini inprimis  
adusti

aa) HILDAN. *Cent. III. Obs. II.* bb) in *Prænot. Coac.* cc) *Cent. V. 3.* dd) *Diff. singulari Altorfi habita*, qua apoplexiam lethalem ortam ex  
inconsulta hæmorrhoidum suppressione per adstringentia & opiata facta  
proposuit, vbi etiam ex relatu Celeberrimi BAIERI apoplexiam ex hæ-  
morrhoidibus sponte cessantibus productam, sed tamen curatam enarrat.  
ee) *l. c. p. 46.*



adulti amantissimus, hæmorrhoides tam cœcas, quam fluentes antea expertus, hiberniis autem & otio aliquot annos fruens, nunc liber ab iis, quum de angustiiis pectoris, quibus mox tussis sicca & pressio in dorso grauans coniungebatur, ita vt nec libera esset respiratio, nec supinus commode decumberet, quereretur, Medicum quem iam collaudau, adiit, consilium eius exploraturus. Hic auctor illi suasorque fuit, vt sanguinis per Venæsectionem detractione facta, motu corpus exerceret, pulueribusque temperantibus vteretur, & de hæmorrhoidibus restituendis cogitaret. Ille vero subridens abiit, venamque in brachio incidit, sed vehementissimas pectoris angustias auxit, ad quas mitigandas, secta iterum brachii vena, emetico, quod a Medico grauiter ante improbatum fuit, sibi soli sapiens, vt hæc gens assolet, morbum aggreditur, atque id etiam efficit, vt ille vno quasi ictu totus superatus videretur. Quum vero paucis diebus post eadem spirandi difficultas, & pectoris anxietas redirent, emeticum repetit, nec sine felici, vt putabat, successu. Denique vero affectus tanta vehementia, tantoque impetu recrudescebat, vt res iam conclamata esse videretur. Rubebant genæ, tota facies erat turgida, venæ iugulares maxime conspicuæ, sudor largus & anxius, tremor omnium artuum, pedes frigidi, respiratio anhelosa, & crebra, pulsus celer & durus, præcordiorum anxietas tanta, vt ne caput elevare quidem posset. Ex ore manabat sine intermissione tenue sputum, coniuncta tussi; alius erat obstructa, & quies nulla; in sella sedebat æger, cum nec iacere, nec obambulare ipsi ob interclusum spiritum, & suffocationis metum liceret. Idoneis autem remediis a Medico suscitatus, reuocatis etiam hæmorrhoidibus, liber ab omnibus iis molestiis optime se habuit. Accedentibus vero hæmorrhoidibus cœcis, cum hirudinum usum detrectaret, nec dolores exquisitos æquo animo ferret, in sopientibus, quæ ipsi tamen candide dissuaserat Medicus, omnem spem fiduciamque collocauit. Quapropter vesperi, antequam in lectum se recepit, quinque grana massæ pilularum de cynoglossa assumpsit, doloribusque extemplo mitigatis, & sopore restituto, exoptatum hunc euentum Medico suo hilaris mane enarrauit.



rauit. Obstupuit hic, obseruataque vrinæ, quæ cereuisiæ ex hordeo coctæ perquam erat similis, mutatione, ægrotantem ea de re interrogauit responsumque ab illo tulit, se aliquot granis Massæ Pilularum de cynoglossa vsum esse, optimeque valere. Vix ea dixerat, cum in condaui, in quo cum Medico deambulat, hemiplexia tactus prosternitur, ex qua non ita multo post etiam decessit. Nec aliter agitur cum feminis, si sanguinis fluxus, quos peculiare habent, menstruus atque lochiorum, subsistant, atque ad alias partes cruor propellatur. Ex vtrorumque enim cum mensium ff) tum lochiorum gg) suppressione ortam Apoplexiam constat, suoque damno experta esse memoratur ab HILDANO hh) mulier illa, quæ sanguinem mēstruum non per vias a natura constitutas, sed per os atque nares satis copiose hucusque reddiderat; quum vero eius rei pertæsa fluxum intempestiue sedauerat, in apoplexiam incidit, eandemque mortiferam, & post horas ab obitu triginta sex sanguinem ex locis memoratis adhuc excreuit. Verum missis his ad alias etiam causas progrediamur, & cum tantam esse vim aeris ad sanitatem tum confirmandam, tum inuertendam compertum quisque habeat, videamus etiam, quantum ad procreandam apoplexiam valeat. Atque hanc profecto nunquam tam crudeliter & tam frequenter in vitam salutemque hominum desæuuisse pridem a præclaris quibusdam medicis annotatum fuit, quam vbi post æstatem admodum siccam & feruidam hiems vrsit frigida quidem, sed humida simul & pluuiosa. Hæc fuit ratio, quare Anno MDLXII. tanta hominum multitudo apoplexia decesserit. ii) Atque cum Anno MDCLXXXIII. æstas esset adeo feruida, vt omnia squalore & siccitate confici & consumi viderentur, frigus vero ineuntis anni MDCLXXXIV. acutissimum, æstas vero quæ sublequebatur, superiori longe ardentior, & per quinque continuos menses

---

ff) *Vid. Ephem. Nat. Curios. Dec. II. Obs. 225 FONTAN. Respons. & Curat. Med. Lib. I. p. 25.* gg) *BALLON. Paradigm. p. 318. Eph. N. C. Dec. II. Ann. V. p. 71.* hh) *Cent. III. Obs. 12.* ii) *FOREST. Lib. X. Obs. 70. Conf. HIPPOCR. Aphor. III. 16.*



ses nullis terra pluuiis irrigaretur, donec demum circa Calendas Octobres primæ deciderent, eademque ad Mensē Aprilem perseverarent, tanta copia, ut post hominum memoriam non visæ fuerunt vberiores, atque quindecim dies pluuiosi, vix vnico sereno distinguerentur, Romæ annis iam commemoratis, ut præclare docet præstantissimus Romanorum Medicus GEORGIUS BAGLIVS *kk*) epidemica inuasit apoplexia, adeo quidem assidua, ut quouis propemodum momento subita mors metuenda esset. Atque in eandem sententiam Ephemerides Germanorum Medicæ referunt, sub humido pluuiosæ hiemis temperie Anno MDCC. Vratislaviæ, *ll*) Anno MDCCII. Berolini *mm*) & Anno MDCCV. Augustæ Vindelicorum. *nn*) Apoplexias crebras admodum atque familiares fuisse. Neque minus Illustris LANCIUS *oo*) quando de Apoplexiis Annorum MDCCV. & VI. frequentioribus differit, omnem earum originem ab æstate feruida & sicca, autumnino deinceps pluuioso, & tandem hieme inæqualiter boreali & australi repetit. Eandemque ob rationem Anno MDCCXII. *pp*) atque Epperiis MDCCXVIII *qq*) tantam hominum copiam attonito prehensam esse morbo ille intelliget, qui cum eodem antecedentem tempestatem diligenter comparabit. *qq*) Præterea quoque ipsum frigus, acre nimis & intensum, inprimis, si tempestas magis mitis & clemens præcesserit, apoplexias generat admodum frequentes, & memini, cum ineunte anno MDCCXXVI. frigus acutissimum subito oriretur, Lipsiæ multos domi suæ, non nullos in triuiis & compitis, alios in itineribus attonitos concidere. Eo autem grauius erit detrimentum, si post eiusmodi frigus calor immodicus in conclaue admittatur, quod binis exemplis Celeberrimi MEDICI VRATISLAVIENSES comprobarunt. *rr*) Atque in Finlandia Cl. JVNCKERVS *ss*) memorat apoplexia omnis ætatis homi-

D

homi-

*kk*) Oper. p. 683. *ll*) Ephem. Nat. Cur. Dec. III. Ann. 9. & 10. App. p. 20. *mm*) l. c. p. 31. *nn*) l. c. p. 38. *oo*) de mort. subit. Lib. II. c. II. *pp*) Ephem. N. C. Cent. I. App. p. 36. *qq*) Breslauer Natur- und Kunst-Geschichte Winter-Quart. 1719. pag. 41. *rr*) loc. cit. Winter-Quartal 1718. p. 523. *ss*) in Conspect. Medic. Theor. Practic. Cap. de Apopl.



homines sine discrimine tentari, potissimum ex repentina frigoris cum calore permutatione, quando post capitis in templo perfri-  
 gationem calida hypocausta ingrediuntur. Idem interdum iis  
 euenire solet, qui caput ante aqua feruente in balneis lotum mox  
 aeri frigido imprudenter exponunt. *tt)* Plures itidem videas at-  
 tonitos, ideoque in summum vitæ periculum adductos esse ex vl-  
 cerum inueteratorum manantium *uu)* itemque fonticulorum *xx)*  
 coalitu vel casu vel consilio facto, nec minus coryzæ, tussis hu-  
 midæ, pedum sudoris, catarrhalium affectuum suppressione, scabie  
*yy)* variolis *zz)* petechiis aliisque exanthematibus ex ambitu cor-  
 poris ad interiores eius partes repulsis, & arthritidis pariter in cor-  
 pus regressione, de qua GVILIELMVS inprimis MVSGRAVE mul-  
 tum disputat. *a)* Atque dignum mihi commemoratione visum fu-  
 it, quod ILLVSTRI PRÆSIDI *b)* debeo, exemplum Viri cuiusdam  
 Generosissimi, qui cum per sex dies pulueribus mercurialis profa-  
 piæ a chymico quodam ad sopiendos podagræ dolores ipsi datis  
 vsus esset, ex quibus & dolores simul semelque conquieuerant, no-  
 ctu miserrima atque ægra valetudine fuit, maneque apoplexia ta-  
 ctus repentina morte periit. Multis etiam affectuum impetus exi-  
 tio fuit, & aliis quidem moeror & sollicitudo, subitaque animi con-  
 sternatio, vt matronæ illi, postquam mortem filii per literas intel-  
 lexerat; *c)* aliis terror, quemadmodum multos ex terræ motu  
 BEROALDVVS *d)* ex fulminis autem vicini ictu perterritos SCHEN-  
 EKIVS *e)* in apoplexiam incidisse prodiderunt; Pluribus vero  
 iracundia præceps & vehemens, cuius quidem exempla enumerare  
 omnia, longum nimis atque ab instituto meo alienum fo-  
 ret.

---

*tt)* Exemplum attulit AMATVS LVSITANVS *Cent. l. Curat 36.*  
*uu)* Bressl. Natur- und Kunst-Geschichte Winter-Quartal Ann. 1718. pag. 523.  
 PELARGI *Observat. Clinic. Ann. 1722. p. 365.* *xx)* WEPFF. *loc. cit. p. 443.*  
*yy)* *Ephem. N. C. Dec. l. Anu. l. Obs. 58.* MOEB. *instit. p. 265.* *zz)* FO-  
 REST. *Lib. X. Obs. 70.* *a)* in libello elegantissimo de arthritide symptoma-  
 tica *b)* Extat Tom. III. *Med. System. Sect. l. cap. V.* *c)* HILDANVS  
*Cent. VI. Obs. 12.* *d)* in libello de terræ motu. *e)* vid. *Lib. l. Obs. 151.*



ret. f) Qui feruent libidine, & veneri nimis indulgent, præter alia quibus se exponunt, damna, facile etiam apoplexia tentantur. Et quosdam in sinu feminarumque amplexibus ea prehensos esse ex medicorum historiis patet, refertque HENRICVS ab HEER ggl) nobilem quendam quinquagenarium, cum ducta virgine suæ fortis inter vxorios amplexus apoplexia correptus, sed ab eadem industria HEERII liberatus antea fuisset, postquam ad easdem furias rediit, in vxoris sinu subito animam exhalauisse. Atque VRATISLAVIENSES memorant h) DANIELEM BECKERVM Medicum & Professore Regiomontanum, cum secundam ducturus vxorem naturæ torpenti & languidæ medicamentis ad excitandam Venerem idoneis opem tulisset, in certamine fortiter inito, succubuisse, subitaque morte oppressum esse, quod & pluribus eius generis exemplis a BARTHO-LINO i) LVDOVICI k) atque recentissime Illustri PRÆSIDE l) declaratum fuit. Præter hæc illa omnia, quæ soporem, stuporem, atque *νάρκησιν* quandam capiti conciliant, in numerum causarum iure meritoque veniunt. Et de medicamentis quidem ex opio confectis bina iam exempla superius, cum de hæmorrhoidum suppresso fluxu agerem, attuli, quibus & alia addere, si quidem id opus foret, perfacile esset. Vt adeo mirari subeat, esse nonnullos, atque inter hos Cl. BEKNERVM m) qui in ipsa apoplexia opiatorum vsum commendandum putent. Absinthiacorum abusum apoplexiæ suscitandæ admodum esse aptum ILLVSTRIS WEDELIVS præclare obseruauit n) atque lupulum eadem

D 2

f) FOREST. *Lib. X. Obs.* 70. Leuem apoplexiam ex ira RIEDLINVS *Cur. Medic. Millenar.* p. 611; Grauem vero LVCAS TOZZI *Med. Pract.* p. 77. notant. Vid. & VERCELLONI epistola de *bile imminuta & aucta* Cl. BIANCHI inscripta. g) *Obs Med.* 18. h) *Hist. Morb. Vratisl.* l. c. i) *Cent. VI. Hist.* 94. k) *Ephem. N. C. Dec. I. Ann. 9. & 10. pag.* 352. l) *Diss. de morbis ex nimio veneris usu* p. 17. m) *Diss. de apoplexia, cum catarrho suffocatiuo* §. 53. quæ cum eius libello de applicatione Mechanismi ad Medicinam coniunctim prodiit. n) *Amæn. Mat. Med. Lib. I. Sect. III.* 6. 6. p. 163.



dem ex causa pridem SEBIZIVS arguit. o) Ecquis vero crediturus esset, eam esse Nicotianæ vim, ut vel ipsum hunc trunculentum grauemque affectum prouocet, nisi id aliorum exemplis planum atque manifestum redderetur. Quod multis mirum videbitur, qui hanc herbam summis in deliciis habent, & dies noctesque eius usu extrahere solent. Sane ex Celeberrimo HELWIGIO p) intelligimus, ipsius tempore Massiliæ in Galliis duos fuisse fratres mercatores Hollandos, qui voluptatis gratia inter se contenderint, quis eorum plures fistulas exhausturus esset, atque alterum eorum septendecim, alterum duodeviginti exsuxisse, sed postquam vterque attoniti erant redditi, alterum extemplo exspirasse, alterum per duas adhuc horas animam egisse. Quod & suo comprobant testimonio MEDICI VRATISLAVIENSES q) qui omnes, quotquot Anno MDCCII. apoplexia prehensi fuerint, tabaci fumo esse abusos asseuerant. Pestifera atque pernitiola omnium, qui ex mercurio, antimonio, aliisque mineralibus prodeunt, vaporum atque exhalationum indoles, si non aliis documentis constaret, certe eam morbi mortesque metallurgorum aurifabrorum, atque ciniflonum, qui sæpius ex Apoplexia intereunt, satis ostenderent, quemadmodum & eos, qui Venetiis specula mercurio illinunt, apoplexiæ admodum obnoxios esse Celeberrimus quondam ETMVLLERVS annotatum reliquit. r) Dicit vero non potest, quantum detrimenti vitæ sanitatique fumi & exhalationes ex carbonibus viuis & ardentibus si imprimis a frigore intenso, & in conclauis non adeo spatiofo & clauso coarctantur, afferant, quod cum multi alii tum ipse etiam Imperator IOVIANVS s) atque Parisiis quinque homines in cella subterranea suo experti esse damno memorantur. t) Atque eiusmodi carbonum fumum humida magis tempestate & in locis angu-

---

o) *Exercit. Pathol. Tom. I. p. 67. & 78.* p) *Obs Phys. Med. 45.* q) *Hist. Morb. Vratislav. Ann. 1702. p. 25.* r) *Prax eo capite*, ubi de Apoplexia agit. vid. & de vaporibus mercurialibus LANGIVS *Lib. I. Ep. 43.* s) *EV TROP. Lib. X. cap. 9. Breuiar. Hist. Roman.* t) *Vid. Histoire de l'Academ. Royale des sciences l'ann. 1710. pag. 727.* Conf. & PLV.



angustioribus pernicialem esse, eleganti commonstrauit experimen-  
to ILLUSTRIS CHRISTIANVS WOLFFIUS acutissimi ingenii  
Philosophus n) qui carbonēs ardentes laminæ ferreæ impositos  
sub campana antliæ pneumaticæ amplissima collocauit, vt vapor  
ex carbonibus, & humiditas ex madido, quod super discum exten-  
ditur, corio, commiscerentur. Huic inclusit auiculam, quæ, simul  
atque campana est imposita, extemplo convulsionibus agitata  
extinctaque fuit. Remota campana foetor admodum ingratus ex-  
halauit; auicula autem, vtut liberiori aeri reddita, more aliarum,  
ad vitam non rediit. Præter hos autem scimus, & alios esse vapo-  
res, qui ex musto & cereuisia fermentante consurgunt, atque si in  
loco angustiori haud satis expandi queant, hominibus, qui ibi di-  
utius agunt, multas molestias facessunt, atque ipsam interdum apo-  
plexiam producant. x) Quando collum arcte nimis perfocale con-  
stringitur, ex leui hac, vt multis videbitur, causa, apoplexia inter-  
dum, & præsens vitæ periculum oriri solet. Vidi ipse hoc in iuvene, qui  
venustatem sibi conciliaturus nodo arctius constricto fauces & collum  
coarctauerat; at cum vino aliquantum largius esset vsus in conuiuio, de  
sella subito in terram prostermitur, sensus motusque expers & suffo-  
cationi proximus, qui tamen soluto vinculo, venaque brachii incisa,  
sensim sensimque aliis quibusdam medicamentis adiutus ad se redibat.  
Atque monent nos profecto Medicorum Historiæ esse eiusmodi cau-  
sas complures, quæ exigui admodum momenti, nec tanto malo  
excitando pares primo quidem intuitu existimabantur, interim ta-  
men, si cerebri, nervosique generis & atonia, aut abundantia,

D 3

ebul-

& PLVTARCH. in *Vit. Parallel. vit. Marii* MARC. DONAT.  
*Lib. II. Hist. Med. Mirab. c. 17.* PAVLVS CASAT. *Diff. Phys. de Igne*  
*Diff. VIII.* CHESNEAV *Obs. Lib. I. p. 78.* LANCIS. *l. c. Lib. I. c. 4.* RAM-  
MAZINI in *Supplem. diatrib. de morb. artific.* Hoffmanns *Bedencken von schädlic-*  
*hen Dampff der Holz-Rohlen.* Bressl. N. und K. Geschichte Herbst-Quart. 1719.  
p. 729. u) V. *Eius allerhand nützliche Versuche zu genauerer Erkänntis der Natur*  
*und Kunst Tom. III. c. 7. p. 479.* x) PLAT. *Lib. I. Obs. p. 18.* ZACVT. LV-  
SITAN *Med. Princ. Hist. Lib. I. Obs. 10.* Bressl. Natur- und Kunst- Geschichte  
Herbst-Quart. 1717. p. 220.



ebullitioque sanguinis coniungatur, non sine magno periculo inuadunt. Quemadmodum aliis ex assiduīs profundisque meditationibus y) aliis ex decliuiori corporis inter dormiendum positu z) aliis quod caput nudum feruentibus solis radiis exposuerint, aut pronum obuersumque æstuantī foco diutius obiecerint, sideratione affectos esse constat. Grauidæ etiam, vbi ad medium circiter gestationis tempus venerunt, in leuem aliquando apoplexiam incidunt, nullius tamen grauioris, aut funesti euentus, sed quæ breui iterum terminatur aa) non secus, ac in iis decurrere sine magno aliquo discrimine solet apoplexia, quibus vel ex hypochondriaco, vel hysterico affectu accidit, atque propter ea leuis vel spasmodica ab ILLVSTRI PRÆSIDE hinc inde appellatur. Pari modo, qui acidulis abutuntur, eos nonnunquam & ob hanc causam attonitos esse redditos clarum est exemplis atque perspicuum. Id quod HENRICVS ab HEER de Sexagenario quodam ex potu aquæ Spadanæ, & ROLFINCKIVS de Hassiæ quodam Landgrauio ex acidulis reduce bb) atque simile etiam FRANCISCVS HILDESHEIM cc) MEDICIQVE VRATISLAVIENSES dd) enarrauerunt. Superest, vt de iis causis, quæ in cerebro tacite aliquando nasci, & nisi per anatomen in cadaueribus luci oculisque exponantur, absconditæ admodum & abstrusæ esse solent, nonnihil edisseram. Quo nomine tumores in primis intelligo, cuiuscunque generis, in cranio cerebroque genitos, ex quibus ille commemorabilis præ reliquis videtur, quem in Ephemeridibus Germanorum Cl. sistit SCHOBERS ee) osseum, spongiosum, in bregmatis osse sinistro interne conspicuum, qui primo dolorem capitis atrocem, guttam serenam, motus epilepticos, demum vero etiam apo-

---

y) *Illustr. HOFEMANN. Tom. III. Med. Consult. p. 119.* z) quem iam LOWERVS notauit *Traët. de corde cap. II.* aa) Vid. WEPFFERI *Hist. Apoplect. in Auctar. Hist. XV.* HOLLERIVS *de morbis intern. Lib. I. c. 7. & Histor. morb. Vratislav. l. c.* bb) *Method. Special. p. 144.* cc) *Spicileg. VI. p. 526.* dd) *libr. iam citat. p. 24.* ee) *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. Ann. 9. & 10. Obs. 253.*



apoplexiam excitavit. Apostema s. Abscessus, raro quidem intra cerebrum, in meningibus vero frequentius & propter easdem fere rationes, ob quas sanguis extra vasa sua delabatur, oriri solet. Donec fit suppuratio, capitis dolorem, aut torporem fere tantum inducit. Vbi vero dissolvitur apostema, sanies in cerebrum profusa id erodit paulatim & exedit, atque in putredinem vertit, sicque apoplexiam tandem parit. ff) In compluribus etiam ex Apoplexia demortuis, facta post obitum cadauerum incisione, polyposæ concretiones, vel in arteriis carotidibus, atque vertebralibus, vel finibus duræ meningis, vel venis iugularibus vel aliis reperiuntur, observatque JO. GEORG. GREISELIVS gg) quotquot apoplexia aut catarrho suffocatio defunctos aperuit, in omnibus polypos, aut in corde, aut in cerebro, aut in vtrisque in conspectum venisse. Ultimo tandem loco causæ prodeant externæ, eademque violentæ, ictus capitis, grauioraque eius vulnera, & ad corpus durum alio, prolapsus ab alto, cerebri concussio, & reliqua quorum exempla cum vniuscuiusque quotidiana experientia facile cognoscuntur, tum vt de aliis auctoribus taceam, magna in WEPFFERI auctario copia commemorata extant. hh) Sane cum effectus, qui ab eiusmodi grauioribus capitis læsionibus proficiscuntur, sæpe numero cum iis plane conveniant, quæ in apoplexia ab internis causis nata accidere solent, non patet ratio satis idonea, quamobrem non æque illos hoc nomine omnes complectamur. Ac sæpius quidem leuiiores causæ sufficiunt, quod exempla apoplexiæ ex alapis vehementioribus ortæ ab ILLVSTRI FRANCKENAV ii) collecta satis declarant. Inprimis vero etiam quorundam animadversione compertum est, omnes oculorum ictus admodum esse exitiosos, ex quibus grauis capitis & cerebri concussio, sanguinis ex-

tra

---

ff) WILLIS. *Pathol. cerebr. c. 2.* & BONET. *sepulcret. Lib. I. Sect. II. Obs. 30.* gg) *Ephem. N. C. A. 1670. Obs. 74.* hh) *a p. 294. ad 374.* ii) *Diff. de Alapis §. 22. quæ nunc extat in eius satyris medicis.*



tra vasa sua profusio, ipsaque apoplexia subinde excitata fuit. *kk)*

# XI.

*via morbi, quam recte intelligendam nulla ex Anatomie & Physiologia praeimitur,*

Hæc igitur fuerunt (§. 2. 3. 4. 5. 9. 10.) quæ crebra effectorum atque euentuum obseruatione, atque accuratiori experientia de graui hoc morbo cognoscuntur. Quæ si diligentius inter se contendo, atque ad naturalium rationes motuum, quibus progressus, atque circuitus liquidorum in corpore nostro conseruatur, refero, omnem vim morbi, & primam originem, in cerebro esse fitam, facile intelligo. Vt vero, quam nunc exponere atque enucleare ingredior, affectus huius theoria, eo magis plana esset cuius atque perspicua, constitutum habeo, nonnulla, quæ quidem eo pertinere videbuntur, ex anatomie & physiologia antea reperere, nec tamen ea copiosius edisserere, aut omne argumentorum genus, quibus confirmari sententia queat expromere, vel cum iis, qui forte dissentiant, multa & longa disceptatione conflictari (eiusmodi enim, qui desiderat, hunc ad illos scriptores, qui ea de re data opera exposuerunt, remittendos puto) sed breuiter omnia summamque, & quantum instituti mei intererit, complecti atque enarrare. Quod ut ordine procedat, placet, initio itinera & decursus vasorum, quibus sanguis ad cerebrum vehitur, paulo curatius persequi & peruestigare. Ac primo quidem commemorandum est, postquam arteria magna ex ventriculo cordis sinistro egressa, atque arcuato flexu incuruata fuit, eo ex arcu in dextro latere oriri carotidem dextram, cum qua subclauia eius lateris ad exortum ut plurimum coaluisse videtur. *ll)* Sinistra vero ex eodem arcu in latere sinistro erigitur. Vtraque statim profundo situ, trunco singulari, & fere indiuiso, iuxta tracheæ latera, ab incuruatu & compressu liberæ, rectissimo itinere ad caput contendunt, in collo autem pone

terti-

*kk)* FERNEL. *de abdit. rer. caus. c. 15. & SCVLTI Armament. Chirurg. Obs. 21.* *ll)* Vid RVYSCHII *Thesaur. Anat. I. p. 9. IV. 44. VI. 81. VIII. 15, Epist. Probl. III. Tab. 3.*



tertiam eius vertebram in duos diuiduntur ramos *mm*) quorum alter cerebrum peruadit, alter vero per partes capitis externas ramos suos distribuit. Interni vero rami, quamprimum processum styloideum attigerunt, ampliores aliquatenus redditi *nn*) incurvantur, & per quartum foramen sub osse petroso in canali ossi sphænoideo insculpto, & sub dura matre prorepentes, sursum paululum versus posteriorem apophysin sellæ turcicæ ascendunt, mox iterum intortæ ad latera ephippii descendunt, statimque ambitu quodam incuruata ascendunt, ac duram meningem ad latera infundibuli perforantes, versus cerebrum feruntur, infinitisque ramusculis tum per hoc tum per meninges diuisi procedunt. Vertebrales vero arteriæ ex subclauis ortæ & sursum porrectæ statim inter foramina apophysibus vertebrarum transversalibus insculpta recto itinere progrediuntur, & inuolucro membranoso vaginali communitæ, ac mirifice circa superiores colli vertebrae intortæ, *oo*) simulac vero ex vertebrarum foraminibus emerunt, per magnum occipitis foramen cranium ingressæ, deposita robustiori membrana, cum carotidibus coniunctæ multis modis diuariantur. Vtrasque enim has arterias cum carotides tum vertebrales crebra cadauerum incisione comperimus, validas atque extendineis filamentis constantes tunicas, in quibus omnis agendi vis & elater inest, vbi cranium subeunt, exuere, atque adeo venis non multum dissimiles, hoc quidem loco videri. Præterea vero eadem illæ ab oppositis plagis in mutua oscula coeunt, sicque orbicularem in speciem in pia matre, præcipue ea, quæ inferiorem cerebri, & cerebelli partem inuestit, commissæ, inde statim ramos emittunt, qui simili ratione & ordine aliis ramis occurrentes iterum minores eiusmodi circulos constituunt, atque eodem artificio per totam piæ matris superficiem, in ramusculos, quos nulla amplius oculorum acies assequitur, fere euanescent. Ut tota hæc mem-

E

brana

*mm*) Vid. CANT. *Impetus primi Anatomici Lugduni Batav.* 1721. in fol. editi. *nn*) Quam diametri extensionem solus *Couperus* in *Observat. Medic. præct.* annotauit. *oo*) Vid. NICOLAI *Diatrise de directione vasorum.*



brana maxime hac textura constet, atque adeo non modo carotides dextræ cum carotidibus sinistris, atque vertebrales dextræ cum vertebralibus sinistris, sed ipsæ etiam carotides atque vertebrales inter se mutuis ἀναστροφάσις coëant, sanguinemque aliæ in alias transfundant. Ipsa vero hæc vascula minima tenui meningi intertexta, multis & numero fere infinitis diuarcationibus in minores semper atque minores ramusculos dirimuntur, qui mirifice inter se complicati, contortique & serpentinis progredientes anfractibus in tubulos tomenti instar exiguos, & plus quam capillares, imo infinite paruos mutantur, ex quibus omnem cerebri, & cerebelli, pp) quæ patet corticem contexi, nunc quidem cognoscimus, postquam ea ILLVSTRIS RVYSCHIVS Anatomicorum nostræ ætatis facile princeps, glandulis, quas superius maxime seculum eo loco posuit, velut exauctoritatis, felicissima sua arte in lucem protulit. qq) Atque tenuissimæ hæ vasculorum extremitates desinunt tandem in tubulos medullares, longe adhuc exiliores, longe angustiores, quos & ratio idoneis argumentis assequitur rr) & Celeberrimus LOEWENHOECK post multos labores vitro optico aditus, suis oculis vsurpauit. ss) Fibræ hæ, quarum omnem congeriem, medullam cerebri appellant, variis modis inflexæ & convolutæ, varios deinceps processus, eminentias, atque etiam cavitates, maximam partem qua vsum adhuc incognitas, efficiunt, iterumque collectæ, & coagmentatæ medullam oblongatam constituunt, quæ extra cranium progressa in spinalem mutatur. Verum ex his iterum fibrillæ aliæ & filamenta prodeunt, quæ in vnum veluti fasciculum collecta, & membranis suis inuestita instar funiculorum cylindricorum in omne deducuntur corpus & nervi appellantur, quorum ex cerebro decem, vel ad aliorum mentem, nouem paria, triginta autem vel triginta duo paria ex spinali medulla oriuntur, omnibusq; eius partibus numero innumerabili, & artificio plane singulari, intexuntur. Quos ipsos

---

pp) BRVNNERVS tamen Carotides ad cerebrum non peruenire observavit, vt ex *Ephem. N. C.* repetit NICOLAI *l. c. p. 31.* qq) Vid. *Epist. Probl. XII. Thes. Anat. III.* & alibi passim. rr) Vid. BOERH. *Instit. Med. §. 265.* ss) *Epist. Physiol. 34 p. 341.*



ipſos neruos cum multi dicerent ex compluribus conflatos eſſe tubulis, atque canaliculis, quamlibet teneris admodum & exiguis, nec eadem tamen omnium eſſet opinio, atque conſentirent alii, alii diſſentirent, poſt tot diſputationes concertationum plenas in medium prodiit accuratiſſimus obſeruator ANTONIVS LOEWENHOECK, qui eos vtiſque peruios, & fibris medullaribus haud diſſimiles eſſe, ex obſervationibus, quæ per exquiſita vitra ab ipſo inſtitutæ fuerunt, egregie oſtendit. *tt*) Reſtat, vt de venis breuiter exponam. Atque initio quidem de venis, quæ inde ab exiliſſimarum arteriarum extremitatibus ortæ cerebri corticem alunt & peruadunt, neutiquam, vt ſolent nonnulli, ego quidem dubito, cum probe perſpectum habeam, nullos eſſe canales alios, quibus ſanguis ad cerebrum veſtus iterum reduci queat. Illæ vero ipſæ vbi longius progreſſæ, ad piam duramque matrem peruenerunt, magis in oculos incurrunt, & tortuoſo admodum itinere feruntur, donec tandem in ſinus duræ matris cruorem exonerant. Horum enim complures *uu*) ſapientiſſimus rerum parens & opifex architectatus in ea membrana videtur, vt veluti diuerticula quædam eſſent, & receptacula, in quæ omnis ex cerebro ſanguis, qui copioſe admodum eo vehitur, deriuari queat. Qui deinceps poſtquam per horum tractus & in nonnullis per varios anfractus motus proiectusque fuit, tandem in venas iugulares internas propellitur, quæ bis vel ter ſacci in modum in progreſſu ſuo admodum expandi ſolent, vt velut varicoſæ videantur, tandem vero in ſubclauias deſi-  
nunt, per quas ſanguis a cerebro rediens in truncum ſuperiorem venæ cauæ & poſtmodum in auriculam cordis dextram reducitur, vt ex hac, confecto tandem itinere, cordi reſtitui queat. Neque alio ſane conſilio, omnem illam, quam admiramur, cerebri fabricam, eleganti conſtructam artificio eſſe, nec ſanguinem tam copioſum eo agi & euibrari exiſtimemus, niſi, vt in extremis arterio-  
larum apicibus, vbi in cerebri cortice in fibras medullares deſi-  
nunt,

E 2

*tt*) l. c. *Epist* 36. pag. 354. *uu*) de numero horum ſinuum Auctores admodum inter ſe diſſentiunt. vid. RIDLY *Anatomy of the Brain*. cap. 5. & PAVLI in *Not. ad HORN. microcoſm.*



nunt, fluidum quoddam subtilissimum, magnaue agendi vi præditum a reliquo segregetur sanguine, quod veteres, & nonnulli etiam nostra ætate spiritus animales nuncuparunt, nos vero perpetuo fluidum nerveum dicturi sumus. Quod etsi a compluribus nostro etiam Seculo, & nuper admodum data opera, a Dn. D. GOELICKE xx) a que nouissime a Cl. MORGANO yy) in dubium vocari vel exterminari plane e republica Medica, memini: tamen, si quid ego video, validis satis se tuetur argumentis, atque a Cl. etiam BVRGGRAVIO egregie propugnatum fuit. zz) Vbi itaque fluidum istud a sanguine secessit, per medullares fibras ac deinceps per nervos, ad vniuersum corpus propellitur, & perenni suo accessu musculis vim & robur tribuit, eosque mouet, & agitatis vero in partibus, quas sensuum ministerio natura destinauit, ex contactu & pressione neruofarum extremitatum ipsum agitur, vndisque conceptis, & motu, quem a primo corporis impulsu habet, ad cerebrum propagato, efficit, vt in ipsa etiam mente, ideæ rerum externarum excitentur. Vt adeo sine eius adiumento facile constet, nec motum in corpore humano, nec sensum fore vllum. Quid? quod ipsas etiam mentis vires & actiones adiuuet, & quodammodo determinet, vt pro varia conformatione cerebri & neruorum fluidi diuersa indole, ipsa etiam cogitandi vis mutetur, atque nunc omnes operationes rite exerceantur, nunc vero capiant vitium, atque intellectus fatiscat, & relanguescat memoria, iudiciumque reddatur hebetius, & omnes animi vires atterantur. Atque hic consensus concentusque, qui inter motus corporis atque animi cogitationes intercedit, ab omnibus admittitur, ex quocunque etiam systemate causæ eius atque rationes explicentur. Ceterum, cum sua quisque experientia cognitum exploratumque habeamus, duplicem esse motum humani corporis, alterum, qui inuitis etiam nobis insciisque perennat, easque, quibus vita & incolumitas nostra con-

---

xx) In libro qui inscribitur: *Spiritus animalis e foro medico relegatus.* yy) In libro quem patrio sermone edidit *Philosophical Principles of Medicine* vid. *Act. Erud. Llpf. latin. præsent anni Mens. Februar*, ubi eius recensio extat, zz) In libro, qui Cl. GOELICKEN oppositus fuit,



conseruatur, functiones respicit, alterum vero, quem scientes volentesque exercemus; VVIL LISIVS, quod sciam, primus fuit, qui horum potissimum motuum originem a cerebro, illorum a cerebello repetendam esse ostendit. *a)* Atque in illius postea sententiam concessit RAYMVNDVS VIEVSSENS *b)* de neruorum doctrina optime meritus, qui, prout multis in hanc rem inquisiuit experimentis, sapius vidit, nobisque annotatum reliquit, si canis cerebellum ipse aperto cranio frustulatim exemerit, animal subito exspirauisse, vtut saluum & incolume cum oblongata medulla, cerebrum fuerit; alio autem tempore, vbi cerebrum a medulla oblongata auulsi, non ilico periisse. Ipse etiam ILLVSTRIS BERGERVS, etsi alio loco VVILLISII sententiam reiicit, aliquando tamen aliud agendo memorat *c)* cum canum quorundam viuorum adhuc, cranium, ad explorandos opii effectus, aperuisset, aliquem eorum, impatientem laboris & molestiarum, cerebrum vehementi capitis commotione proiecis, & relicto illato, integroque cerebello vitam adhuc egisse, eodem autem profundius dissecto momento extinctum esse. Quæ obseruationes mouerunt multos, vt WILLISII sententiam comprobarent, interque hos inprimis PERRAVLTIVM, *d)* BOHNIVM, *e)* BOERHAAVENIVM, *f)* & acutissimum WOLFFIVM *g)* qui eandem pluribus & illustrauit, & confirmauit.

## XII.

Tam copioso autem flumine sanguis fertur ad cerebrum, vt, si calculo Cl. MALPIGHII fidem habeamus, si non dimidia, *Tardior* *vasa cer* *sanguinis* *cuitus, et* *in statu* *rati,* saltem tertia eius pars eo compellatur. *b)* Ne vero iusto velocius, & maiori, quam par erat, impetu, simul ac e corde proiectus fuit, rectis in arteriis ascenderet, arcus incuruatus multum eius vim minuere, & primum veluti ictum sustinere videtur. Admirabilis illa,

E 3

*a)* Anat. Cerebr. c. XV. *b)* Neurograph. vniuers. Lib. I c. 10. *c)* Diff. de vi opii rarefaciente. *d)* Mechanique des animeaux Part. II. c. 7. *e)* Renunc. vuln. Sect. II. c. I. *f)* Instit. Medic. passim. *g)* Von dem Gebrauch der Theile in Menschen, Thieren und Pflanzen S. Phys. Dogmat. Tom. III. S. 172. *b)* Exercit. Epistol. de cerebro ad Fracastorium.



illa, quam superius aliquantum explicui, vasorum vtriusque generis fabrica, variaeque illae complicationes, & anfractus eo potissimum respiciunt, ut sanguinis per cerebrum motus hac ratione retardetur. Quod iis clarum erit, atque perspicuum, qui cogitant, ad vasorum resistentias, quibus fluidorum motus & influxus simul determinantur, praecipue referri conditionem canalium, per quos ea protruduntur. Etenim cum frictio multum augeatur, ut haec ex mechanicorum scholis repetam *i)* si linea directionis corporis incedentis, ad superficiem, super quam incedit, fuerit obliqua, satis exinde patet, in variis illis curvaturis & complicationibus, arteriarum, ubi in quovis flexionis puncto angulus incidentiae mutatur, & nova resistentia oritur, sanguinis per eas progressum non esse sine insigni frictione. Nihil vero aequum motum velocitatemque fluidorum cohibet, & retardat, ac frictio, quod cum ab aliis tum inprimis a cl. MARIOTTE scite demonstratum fuit *k)* Quo fieri omnino debet, ut sanguis dum per tortuosos, & varie incurvatos ductus capitis progreditur, ob eandem frictionem maxime retardetur. Accedit & hoc, quod in arteriis mutua *αναστομίαι* coniuñctis cruor oppositis veluti nifibus sibi occurrere videatur. Vnde & ipse eius impetus aliquantum minui solet. Præterea, cum arterias, quæ per cerebrum eiusque meninges distribuuntur, aliunde iam constet, tendinea, atque robusta tunica esse destitutas, cuius vi & elatere se alias constringunt, & sanguini, cuius nifu expanduntur, resistunt, & systole hac, novo velut impetu propulsant, nova ex causa, sanguinis per cerebrum iter difficilimum redditur, ut facile in arteriis cumuletur, easdemque distendat. Atque tria hæc, sanguinis nimirum copia insignis, tardior per cerebrum progressus, & arteriarum expansio clare admodum ostendunt, perfacile esse, ut sanguis pro re nata iis in vasis subsistat, atque se ipsum libero in venas socias aditu intercludat, novi autem accessu semper cumuletur, vasa dilatet, multaque & gravissima mala pariat.

XIII. In

*i)* Secundum theorema 663. *Element. Mechan. WOLFFII.*

*k)* *Traité de mouvements des eaux p. 256.*



XIII.

In subsidium vero data his partibus a prouido naturæ auctore fuit dura mater, quæ motu & contractione sua, tum sanguinem tum neruorum fluidum aliquantum propellit. Placet enim mihi sententia, quæ a medicis duobus Romanis GEORGIO BAGLIVO *l)* & ANTONIO PACCHIONI *m)* qui multa industria argumentum hoc excusserunt, proposita fuit, quam miror a tam paucis receptam esse medicis, cum tamen & illorum experimentis satis comprobata fuerit, atque ad explicandas permultorum motuum, qui tam secundum, quam præter naturæ ordinem in corpore nostro contingunt, rationes, multum momenti afferat. Quippe existimant Viri literatissimi, duram membranam non telam membranofam simplicem & inuestiendo tantum cerebro destinatam esse, sed ex variis fibrarum ordinibus conflari, lacertosque fibrosos, perquam robustos, & solidos continere, iisdemque admirabilem quendam & insignem inesse elaterem, cuius beneficio se placide constringat ea, & hac systole sanguinis, neruorumque fluidi decursum adiuuet. *n)* Neque vero illam putant intra solum coerceri cranium, sed longius produci, atque ita expandi, vt omnes aliæ totius corporis membranæ, fibræque membranacæ eius propagines, & soboles esse videantur.

*Motus d  
matris.*

XIV.

Verum ratio instituti me monet, vt his præmissis demum ad explicandum omnium, quæ cum apoplexia coniunguntur, *φαινόμενα* nexum deueniam. Idque nulla alia ratione promptius expeditum iri puto, quam si ea omnia ad turbatum sanguinis per vasa cerebri & meningum circuitum, indeque factam tubulorum medullarium compressionem, secretionemq; & deriuationem fluidi neruei interceptam, refero. Etenim si sanguinis per vtraque meningis & cerebri vasa itus reditusque quacunque ex causa re-  
tarda-

*Ipsa apop  
theoria,*

*l)* de fibra motrice. *m)* de dura meningis fabrica & usu. it. Epist. ad LVDOV. TESTI. vid. Act. Erud. Ann. 1701. p. 45. *n)* Vid. & JOANN. HIACINTHVS VOGLI in fluidi neruei Historia.



tardatur (§. 12.) utique inde eueniet, ut cum secundum constitutas Naturæ leges, vi motuque cordis nouus perpetuo per arterias carotides & vertebrales eo compellatur, & euibretur, cui vero ex arteriis in venas socias nullus patet aditus, vi pressuque eius, quaque versum in latera tunicarum nitentis, arteria, quibus omnis renitendi facultas perit, distendantur, expandunturque, & hinc tubuli medullares, quos tam exiguos, & angustos esse supra memorauimus, comprimantur atque exinde, secretio ac deriuatio fluidi neruei ad corpus, coerceatur. Quæ cerebri compressio quantum ad turbandam atque inuertendam sensus motusque rationem valeat, ut eo rectius intelligatur, non alienum videtur, recitare exemplum hominis cuiusdam, qui postquam magnam cranii partem casu nescio quo perdiderat, haud ita pridem Lutetiis Parisiorum stipem ostiatim petiit, atque a multis visus obseruatusque fuit. Etenim cerebro, quod denudatum erat, leniter admodum pressum, scintillas sibi ex oculis egredi, ille prodidit; ex violentiori autem eius compressione aurium tinnitum percepit, postea vero, aucta hac, vertigine, & sopore correptus fuit, atque demum in veram apoplexiam incidit; His tamen peractis, quando remittente pressione sibi relictus fuit, ad se sensim sensimque, rediit. Atque eadem fuerunt *φαινόμενα*, quæ in canibus, quorum cerebra denudauerant, & nunc mitius nunc grauius compresserant, clarissimi Viri, WEPFFERVS atque PEYERVS notaerunt, quorum operas, ut veritas eo magis eruatur, cuiuslibet facili negotio imitari licet. Præter hæc vero ad confirmandam sententiam meam idoneos atque locupletes testes aduoco Viros celeberrimos, qui observationes de Apoplexia anatomicas nobis reliquerunt (§. 4. 5.) Ex eorum enim relatu satis constat, vasa apoplecticorum multo cruore esse turgida, quæ difficilem sanguinis circuitum indeque factam sui expansionem satis opinor, arguunt. Ex nimio eorum infarctu aliquando euenit, ut vel eo in loco, vbi arteriæ cum venis coniunguntur, paululum secedant, vel

---

o) Vid. Cl. BORETHII *Dissert. de Epilepsia ex depresso cranio*, Regiomont. habit.



vel violentia quadam plane disrumpantur. Vnde sanguinem in cerebrum profundi nemo non videt. Nec aliam puto esse causam, cur & serosus humor nonnunquam in cerebrum delabatur. Quando enim ex intercepto sanguinis in venas regressu cruor intra arterias accumulatur, serum, quod vna cum sanguine, & in nonnullis quidem maxima copia aduehitur, eo copiosius extrudi, atque secedere solet, nec modo in cerebro, sed pulmonibus quoque & aliis partibus reperitur, potiusque effectus, quam causa mali esse videtur. Quod satis euincitur experimento Lovveriano. Si enim vena iugularis aut cruralis in cane viuo per horam confringitur, hydrops vel capitis, vel crurum inde excitatur, quod lymphæ alias per venas cum sanguine abitura, nunc eo copiosius per vasa lymphatica secedit, eaque vel distendit, vel plane dissolvit. Atque ex his non difficile erit, ingenio atque ratione assequi, quomodo cuncta inter se consonent, atque conspirent, & ab vna hac causa, omnia ea, quæ superius percensui, oriantur (§. 2. 3. 4. 5.) Ac primo quidem nunc nullo fere negotio intelligamus, licet, quare motus sensusque tam cito pereant, atque omnia membra, postquam musculis robur & tonus substractus fuit, relanguescant, & relaxentur, & corpus ilico in terram prosteratur, & quare etiam omnis mentis vis & cogitatio tam repente velut intereant. Atque ita etiam se res in reliquis habet. Quando enim muscoli, quibus laryngis atque linguæ, itemque pharyngis motus debentur, nec minus & ii, quibus maxilla inferior attrahitur, relaxantur, nulloque amplius fluidi affluxu recreantur, inde evenit, ut vocis usus pereat, & nihil quicquam deglutiri possit, atque os hians & apertum cernatur. Si idem sphincteri ani, vel vesicæ urinariæ contingit, feces, & vrina non amplius retinentur, sed sponte prodeunt. Quando sanguis in carotides internas iam satis turgidas non admittitur, in externas secedit magna copia, atque hinc fit, ut vasa faciei adeo intumescant, & in conspectum veniant, ac genæ robore quodam suffundantur, disruptoque vase quodam sanguis externe profundatur, & caput, copia eius, maxime, ubi putredo accesserit, miram in magnitudinem, post obitum distendatur. Et cum ex ratione, quam iam attuli, lymphæ copiosior per difficiliorem sanguinis



guinis circuitum fecernatur, id quidem efficitur, vt humores quoque oculorum, copiosius in sua deriuentur receptacula, oculosque distendant, vt exinde prominentes rigidi, & quasi vitrei compareant, quemadmodum & lacrimæ ex eadem causa verius manant. Quamdiu cerebellum saluum & incolume conseruatur, facile est intellectu, motum cordis & pulmonum superesse adhuc, illo autem violato, & hunc aboleri. Verum tamen vtplurimum nobiliora hæc viscera, vel ob hanc causam, in societatem laborum vocantur, quod vbi per cerebrum turbata fuit circuitio sanguinis, hic necessario maiori copia ad vasa alia, atque hinc etiam pulmonum propellatur, eademque expandat, vnde respiratio difficilior reddi solet, atque ipsum etiam cor, vt molem sanguinis, cuius insignem alias partem cerebro impertit, per reliquum corpus circumagat, maiori longe impetu connititur. Quum & pectus suos habeat musculos, quibus attollitur, patet, iis resolutis respirationem iterum periclitari, atque pectus inprimis adeo compressum, & velut vinculo adstrictum videri. Qua quidem ratione fieri oportet, vt, dum aër in pulmones admissus, nec rite iterum explosus, in trachea, & gutture diutius agitur, atque alius ob alio consequente per loca inæqualia & aspera protruditur, ad rimulam laryngis membranaceam, & epiglottidem allidendo, harum agitatione & tremore partium cum sonitu & stertore tandem elidatur. Quoniam spasmus duræ matris sæpius cum apoplexia sanguinea coniungitur, ex eo omnes conuulsiones cuiuscunque generis fuerint, atque ipsos etiam vomitus repetendos arbitror. E contrario in pituitosa apoplexia relaxari meninx ista & omnem motus impetum amittere videtur. p) Respirationem in sanguinea liberiores, quam in serosa esse existimo, quod qui sanguineam experiuntur, illorum sanguis tam copioso sero & phlegmate haud abundat, vt proinde nec tam largo prouentu in pulmonum vesiculas, quam in phlegmaticorum corporibus secedere possit. Quum phlegmatici venas alant non adeo copiosas, & sanguinem minus sincerum, floridum,

---

p) Vid. inpr. LANCIS. *de mort. subit. Lib. II. Obs. 1.*



ridum, atque elasticum, sed multa potius pituita permixtum, nec facies rubet, sed expallescit potius, nec tument venæ, nec alia eveniunt, quæ a copioso sanguine profisciscuntur. Teporem corporis motuum febrilium indicem esse arbitror, quibus intestinus sanguinis motus ad materiam perniciosam dissoluendam discutiendamq; excitatur. Quum secundum naturæ leges liquidum quoddam in bronchiis & aspera arteria separetur, id quidem eo copiosius, si sanguis ægre admodum per pulmones agitur, sub his laboribus secedet. Aer igitur, qui difficulter etiam per tracheam fertur, eidem permiscetur minutatim, idque sensim sensimque in spumam attenuat, atque per asperam arteriam ad os compellit. Vnde etiam nonnisi præsentē maximo suffocationis, imo ipsius mortis periculo spuma in ore comparet. Quum sensim sensimque generari morbus, & cerebrum pariter atque nervi successu temporis vitium capere queant, antecedent quædam interdum, quæ morbi aduentum denuntiant. (§. 2.) Ea vero omnia vel sanguinis ad caput congestionem indicant, vel ad motus sensusque læsiones commode referuntur, quorum ratio ex iis, quæ huc vsque differui, apte exponetur. Quotquot superius commemoratæ fuerunt causæ, eæ omnes id efficiunt, ut sanguinis per vasa cerebri progressus admodum turbetur, atque cerebri fibrillarumque eius compressio oriatur. Aliæ enim externe cerebro incumbunt, aliæ humores in vasis totius corporis, inprimis capitis cumulant, aliæ ex aliis partibus cruorem maiori copia ad cerebrum propellunt, aliæ sanguinem commouent, & rarefaciunt, aliæ lentorem, & visciditatem eius pariunt, aliæ utramque meningem & sinus ac vasa cerebri, vel relaxant, vel constringunt & coarctant, vel plane dissoluunt (§. 8. 9.) Id quod nunc eo, quem supra secutus sum, ordine, demonstrabo. Ac primo quidem nemo est, qui ignoret, sanguineis magnam sanguinis esse copiam, vasa autem exigua, paululum laxiora, & ad impetum sanguinis sustinendum non satis vegeta, quæ hinc facile ab humorum copia distenduntur. In senibus vero fibrarum tonus maxime mutatur, ut in aliis eæ partibus rigidiores, in aliis vero laxæ admodum evadant, atque hinc uterque sanguinis motus admodum turbetur.



Vnde & partes ex quibus cruor est compositus, non accurate inter se permiscentur, sed ex connubio suo sensim sensimque dissoluuntur. Neque vero etiam sanguis rite amplius ab inquinamentis suis & quisquiliis per emunctoria, quorum naturæ parens varia in corpore nostro exstruxit, repurgatur. Ipsi etiam ventriculo pristinus in senectute haud amplius constat vigor, nec alimenta in chylum mutat, reficiendæ naturæ admodum idoneum. Qua ratione pituita in sanguine multis quotidie modis augetur. Quod si ergo sanguis eiusmodi viscidus & mucosus maiori impetu & copia ad caput fertur, nec dura matre admodum debili & relaxata ulterius propellitur, apoplexiæ & quidem potissimum serosæ via commode aperitur. Interim tamen fit facile admodum, ut & iuvenes, qui sanguine abundant, si eundem quibuscunque ex causis nimium commouerint, in eundem morbum incidant. Cur breuioris colli homines facilius quam reliqui hoc morbo tententur, haud asseueranter dixerim. Si quid tamen ego coniectura assequor, quæ vero per anatomen magis confirmanda foret, singularis forsan vasorum fabrica, & tortuosus magis, quam in aliis decursus efficiunt, ut sanguinis ex capite regressus multum retardetur eiusque congestio longe facilius eueniat. Quare iis, quibus copiosus per venas sanguis fertur, apoplexia præ aliis minetur, ratio tam plana est, atque euident, ut pluribus verbis explicari haud debeat. Quum vero obsoletiores & ipsi vel sincerum sanguinem copiosum, vel multa pituita permixtum in vasis alant, & ut plurimum otia ament, totoque die desideant, somnoque largiori delectentur, patet, quare & ipsi ad affectum hunc inclinent. Per vitam enim otiosam, nullisque exercitatum laboribus, sanguinis circulus admodum vitiatur, & multæ quisquiliæ, quæ alias per tot naturæ exitus foras amandari solent, retinentur, fibræque elasticæ perquam torpidæ & languidæ euadunt, & si lautior inprimis victus accesserit, sanguinis copia multum augetur. Somni autem tempore affluxus fluidi neruei ad musculos impeditior redditur, omnesque corporis fibræ admodum resoluuntur. Quare etiam pulsus arteriarum & respiratio multum relanguescunt, habitus vero corporis



poris cum vasis tumet, sanguinis autem circuitus per caput totumque corpus parum retardatur. De iis, qui hereditatis veluti iure morbo exponuntur, nihil definitio, quum affectuum hereditariorum ratio abstrusa adhuc & abscondita, nec recte ab ullo vnquam explicata fuerit. Quamobrem vt opinor satius erit, ignorantiam fateri ingenue, quam obscuris ineptis, atque ieiunis vocibus, quæ nec intelligi nec explicari possunt, eandem obtegere, atque opinionum commenta consuetari, quibus nihil aliud efficitur, quam vt multa dicendo nihil extricetur. Ingluue & commestationibus multus generantur sanguis, qui deinceps data occasione facile ad ebullitionem excitatur. Præterea vero copiosiora ea alimenta ventriculum obruunt atque infirmant, vt nec chylus, nec sanguis melior inde prodeat. Idem etiam damnum afferunt potus ardentis, atque inebriantes, qui multas in stomacho cruditates pariunt, viresque eius conuellunt, chylique elaborationem & secretionem turbant quam maxime, in ipso autem sanguine id simul efficiunt, vt gelatinosa eius portio coeat, & in coagulum mucumque mutetur. Ita sensim, sensimque morbum producant. In aliis vero longe velocius eum accersunt. Vbi enim ii qui sanguine & succis affluunt, ardente & spirituosissimo eiusmodi liquore abutuntur, omnes summa effervescentia humores incendi sibi atque agitari sentiunt, vt exinde vasa corporis confestim diducantur, atque caput in primis petatur, & meningum ac cerebri tubuli distendantur. Quibus crebra & frequens narium fuit hæmorrhagia, ad eorum capita semper sanguinis congestionem fuisse factam exinde intelligimus. Quæ vbi perseverat, nec tamen per defluxiones dissolvitur, sanguis magis magisque in vasis cerebri accumulatur, atque eadem expandit. Atque hæc etiam reliquarum hæmorrhagiarum, aliarumque sanguinis emissionum est ratio. Primo enim dum per eas aliqua sanguinei laticis copia ordinarie alias detrahitur, omissis iisdem ista in corpore remanet, nouisque quotidie accessionibus augetur. Deinceps autem ita naturæ fert consuetudo, vt ad illas vias, per quas exitum sanguini parat, insignem antea eius quantitatem vehat atque compellat. Quando itaque egressum, quem molitur, sanguis non inuenit, aucta eius identidem copia, sæpenumero contingit, vt eæ

F 3

par-



partes, ad quas delatus ille fuit, spasmo constringantur (quod potissimum ex menstrui atque hæmorrhoidalis fluxus suppressione accidit) & cum impetu cruorem intus contentum ad alia viscera propellant, qui in iis maxime subsistet valis, & accumulabitur, qui minori robore & elatere renituntur. Aestate admodum æstuosa & feruida humores expanduntur insigniter, atque canales per quos progrediuntur, diducunt. Vbi vero humidior deinceps tempestas successerit, fibræ magis relaxantur, & tonus atque elater vasorum multum minuitur, vt languidiori longe impetu humidum propulsent. Quibus ex causis cum aliis in partibus facile humorum fit decubitus, tum præcipue in capite, quod liberum, nec vt reliquum corpus, pluribus munitum integumentis, æris iniurias maxime experitur. Præterea vero cum transpirationi eiusmodi hiemis humidæ frigidæque constitutio non parum officiat, feri colluies in corpore maxime augetur. Nam quamuis & frigus boreale illam turbet, id tamen minori fit periculo, partim quod humores corporis, vt reliqua fluida, inde aliquantum consumuntur, partim etiam, quod tonus vasorum fibrarumque robustior redditur, vt hæc superflua non modo sine sanitatis detrimento tolerari queant, sed etiam per alias vias e corpore exterminentur. Inde enim videmus hieme frigida, plus vrinæ excerni, quam ipsa æstate. Neque etiam aliam ob rationem fit, vt, quamuis secundum experimenta SANCTORII per triginta annos instituta, perspiratio ab æquinoctio autumnali ad solstitium hibernum adeo minuatur vt singulis diebus libra vna decedat; q) nullum tamen eiusmodi detrimentum inde oriatur, quam si verno vel æstiuo tempore ea per intempestiuam perfrigerationem impeditur. Quum acre & intensum frigus spasmos & constrictiones partium externarum efficiat, quibus comprimuntur vasa, & coarctantur, atque sanguis magis ad interiores partes deducitur, facile accidit, vt vi eius copiaque in minimis vasculis aucta, sibi ipsi viam præcludat, canalesque distendat, & in iis detineatur. Accedit & hoc, quod frigus sanguinem coagulat, & transpirationes sistit, partes vero teneriores, & exquisito sensu præditas, vt membranas, quam maxime stringit, & contorquet.

Qui

q) Vid. *Medic. Static. Sect. II. Aph. 7. 8.*



Qui caput aqua calente lavant, ii & multum sanguinem eo all-  
ciunt, & caloris vi admodum turgidum atque rarefactum. Quan-  
do autem per frigus immodicum mox iterum vasa coangustan-  
tur, sanguis eo iam adductus, veluti in angustias redigitur, vi-  
isque interceptis, liberum in cerebri tubulis eundi spatium am-  
plius non habet. Quod si materia inutilis atque corpori inimica,  
a connubio sanguinis iam tam separata, & ad cutis ambitum tubu-  
losque sub cutaneos naturæ imperio & robore profligata, aut ad alia  
loca leuandæ valetudinis causa deposita, vel sponte iterum recedit,  
vel per iniurias externas repellitur, incredibile propemodum  
dictu est, quam variis atque exitiosis malis corpus excruciet.  
Quippe acris eiusmodi corrupta, & corrodingi vim habens ma-  
teries, veneni naturam velut induere videtur, & licet mole val-  
de exigua, insigni tamen corpusculorum suorum subtilitate in  
partes nervosas exquisitiori sensu præditas agit, & truculenta  
instar veneni symptomata excitat. Membranas enim maxime  
infectat, earumque inflammationes, spasmos convulsiones, præ-  
sertim in corpore a morbis iam imbecilli producit. Tantas vero  
nocendi vires, tantamque virulentiam, quas, priusquam ex ha-  
bitu corporis repulsa fuit, non prodidit, non alia ex causa habe-  
re videtur, quam, quod, donec ipsa siue putredine siue caustica sua  
indole corpori inimica, succo & sanguini permiscetur, atque per  
vasa rapitur, sic inuoluta & celerius promota, liberum agendi  
spatium non inueniat, deinceps vero, ubi ex reliquarum sangui-  
nis partium societate secessit, sui iuris facta, & ab inuolucro li-  
bera, visceribus adhærescat, atque pernicialem suam naturam lon-  
ge promptius declaret. Nequid dicam, quod ex sanguinis com-  
munionem exclusa, omnis motus agitationisque expers, mora  
subtilior & acrior reddatur. Ac quamvis etiam in sanguinea va-  
sa recipitur, nunquam tamen cum reliquo sanguine humoribus-  
que ita subigitur, ut eidem intimius remisceatur, sed potius instar  
veneni subtilis in nervosas partes se altius penetrat, ibidemque  
spasticas atroces strictiones efficit. Quod si itaque duram menin-  
gem aggreditur, & eas, quas iam memoravi, strictiones generat,  
spasmo contorta ex cerebrum & cerebellum complicitur, & ita  
comprimit, ut sanguinis per sua vasa decursus tardior longe &  
diffi-



difficilior inde euadat; vel eadem hæc meninx post diuturniorem constrictionem relanguescit tandem, atque resoluta maxime & relaxata sanguinis, & neruorum fluidi progressum suo motu haud amplius adiuuat. Iracundia nimium in sanguine feruorem & ebullitionem excitat, eumque a corde ad partes remotas maximo cum impetu circumagit. Vnde fit, vt facies plerumque rubicunda & inflata reddatur, oculique toruum videant & velut scintillulis micent, vasa, quæ antea erant inania, intumescant, & in conspectum facile veniant, pulsusque & respiratio maxime increbescat, cor palpitatione conflictetur, dentesque stridant, & spuma ore excernatur. Quamobrem dum sanguis hoc modo ad cerebrum euibratur, variis ille conturbationibus occasionem suggerit, ita vt alios cernendi, audiendique sensus delinquat, alios tantus tremor teneat, vt pedibus insistere non possint, alios epilepsia, alios apoplexia inuadat. Contra vero a terrore habitus corporis constringitur, vasaque in se recedunt, & detumescunt, & cum faciei pallore partes externæ frigus quoddam perpetiuntur, & contremiscunt, excretionesque cessant vel diminuantur, atque cor inusitata laborat palpitatione, & præcordia suffocante propemodum anxietate strangulantur. Ex quibus clarum satis est, atque perspicuum, sanguinem eo tempore ab externo corporis habitu magis ad interiores reuocari partes, atque vbi apoplexiam parit, maiori copia & impetu ad cerebri vasa proruere, eaque admodum dilatare, vt circuitus ipsius exinde retardetur. Tristitia animique angor vires subtrahit, tonumque & robur partium eneruat, ac pulsum efficit exiliorem & lentum, appetentiamque & digestionem alimentorum ita deiicit, & corpus adeo mutat, vt non secus ac in terrore facies expallescat, cutisque flaccida, & transpiratio remissior reddatur, partes vero externæ refrigescant, aliusque crebris tentetur deiectionibus, & somni tranquillitas admodum turbetur. Quæ omnia ita comparata esse videmus, vt congestionem sanguinis, & tardiori per difficiles vias motui multum tribuant, idque eo magis in cerebro, quo magis illud affici atque infirmari moerore intelligimus. Venerè vires prosteruntur, atque cerebrum & neruosum genus imbecille admodum euadit, corporisque non minus, quam animi vi-



mi vigor, & alacritas pereunt. Præterea sub ipso veneris actu & congressu feruidiori, vt **ILLVSTRIS PRÆSES** egregie exposuit *r)* quando animus ex ideis rei veneræ commoueri admodum, & extra se poni consuevit, destructo animalium æque ac vitalium æquilibrium motuum, legitimus partium vsus, earumque functiones non mediocriter peruertuntur, magnaue fit sanguinis ebullitio, & celer per sua vasa decursus, quod pulsus eo tempore velox, & vehemens cordis palpitio, tremores partium, pedumque vacillationes satis declarant. Vbi itaque sub hoc feruore sanguis ad vasa cerebri magno impetu deducitur, ibi facile intra meningum canales & cerebri arteriolas coactus & compressus distendit eorum latera, atque expandit. **ILLVSTRIS BERGERVS**, dissectis canum, dum ab assumpto opio somnolenti erant & stupidi, craniis, arterias cerebri obseruauit tum maiores tum minimas, sanguine admodum turgidas atque expansas, tanquam inflammationem paterentur, eleganti spectaculo comparuisse, sectasque sanguinem floridum & tenuem profundisse. *s)* Ipsæ etiam arteriæ per medullarem neruorum opticorum substantiam ad oculi vsque retinam productæ, huiusque reticulari expansioni intextæ sanguine tuebant. Nullum vero est dubium, quin ex omnium, quæ *πάρεσις* excitant, vsu simile quidquam eueniat. Inde vero cognoscimus, vbi sulphur eiusmodi anodynum vaporosum humoribus admixtum fuit, eo tenuissimas cerebri arteriarum membranas extendi & dilatari, adeoque sanguinis difficilem admodum reddi progressum. Atque ex mente quidem **ILLVSTRIS BERGERI**, opii sal acre volatile & sulphureum in parte gummosa, resinosaque coactum, a motu succorum corporis solutum atque exagitatum, hosque intus vicissim exagitans, insignem sanguinis æstum, & subitam rarefactionem, indeque omnes illos effectus producere putatur. Aliam vero tenet sententiam **ILLVSTRIS PRÆSES**, *t)* qui sulphur eiusmodi vaporosum altius membranarum & neruorum poros subire, & purissimum neruorum fluidum destruendo, tonum ac motum solidis subtrahere existimat. Sed de his disquirere opinionibus meum non est, nec

G ad

*r)* Diss. de morb. ex nim. vener. usu. *s)* de vi opii rarefaciente Diss.  
*t)* Med. Systemat. Tom. II. Part. II. c. 7.



ad instituti rationem pertinet, cum satis illud liqueat, & vtraque sententia confirmetur, vasa meningis, & cerebri per ea distendi ingniter, sanguinisque progressum maxime retardari. Atque eadem etiam ratione, in iis, qui carbonum fumo interierunt, cerebrum maxime affectum, vasa meningum omnium sanguine expansa, infarcta & veluti inflammata reperiuntur. *u)* Inest vero carbonibus æque ac materiis fermentantibus principium *φλογιστόν* maxime elasticum, quod ab efficacia fermentationis aut ignis aperti excitatur, magnaque vi & copia expellitur, & vel cum humido, vt in musto, vel terrestribus particulis vt in carbonibus commistum expandere se nititur, & quando spatium in locis clausis non inuenit, vasa sæpius magno impetu dissiicere solet. Vbi vero per inspirationem in pulmones admissum, atque ibi liberum se dilatandi spatium natum fuit, quam maxime se explicat. Quapropter dum pulmones tanta, quanta vapor expanditur, vi, reagere atque se contrahere haud possunt, alternus eorum motus cessat, & respiratio vitium capit, & liber per vasa pulmonum sanguinis transitus turbatur. Quo fit, vt hic maiori copia & impetu ad cerebrum pulsus, eodem modo, vt sæpius declaravi, arterias meningum distendat, & sensim sensimque in iis cumuletur. *x)* Vapores mercuriales alique, indole sua venenosa spasmus partibus nerveis & membranosis inducunt, vt proinde, vbi similem in cerebri meningibus constrictionem efficiunt, sanguinis decursus, per arctiorem harum compressi-  
onem maxime impediatur. Collo per focale arctius constricto, comprimuntur venæ iugulares, hincque refluxu intercluditur sanguis, & in capite colligitur, atque si liquoris vinosi abusu commotus fuerit, vasa distendit, atque expandit. Eandem sanguinis commotionem solis radii suscitant, omnisque ignis calor; meditationes autem cerebrum atque meninges eneruant quam maxime, vt impulsus, quo sanguis alias proiiciendus erat, inde relanguescat. Quum sub decliuiori capitis situ sanguis per venas iugulares ægrius ad cor redeat, in affectibus autem hypochondriacis atque

*u)* Vid. *Histoire de l'Academ. Royal des sciences Ann. 1710. pag. 727.*

*x)* Vid. inpr. de vaporibus mustaceis ILLVSTR. STAHL *Zymotechn. fundam. c. X.*



que hyſtericis, ſpaſticæ conſtrictiones perpetuo coniungantur, quæ ſanguinis circuitum peruertunt, vt hac ratione maior eius quantitas ad ſuperiora moueatur, atque præterea ex partibus externis tunc pariter adſtriſtis, & frigidis, ad interiora viſcera, atque adeo, ſi reliqua conſentiant, ad ipſum etiam cerebrum cruor amandetur, facile nunc morbi attoniti ex his cauſis origo intelligetur. Quando grauidæ ex ipſa grauiditate in apoplexi-  
am incidunt, nullam aliam cauſam eſſe ſuſpicior, quam quod compreſſione venæ cauæ ab vtero grauido facta ſanguis itidem maiori copia & abundantiore ſtumine ad partes ſuperiores vehatur, quamuis interdum & ſpaſmi abdominis in iisdem accedant. Nec iniis, qui ex acidularum abuſu attoniti ſunt, aliam cauſam cogitando aſſequor, quam quod vbi ex per colatoria conſueta non rite iterum ex corpore proſcribuntur & eliminantur, mole humorum aucta, tubuli in meningibus & cerebro nimium diſtendantur. Tumores vero, apoſtemata, polypi, manifeſto ſanguinis circuitum turbant, atque fibras cerebri medullares comprimunt, quod itidem in læſionibus externis violentis fieri ſolet. Namque vel fragmenta cranii introrſum verſus cerebrum adiguntur, vel cerebrum alia ratione inſigniter concutitur, vel vaſa diſrumpuntur, & ſanguinem copioſum profundunt. Quæ profuſio nunc quidem a vi inſtrumenti ad interiores cerebri partes adacti, nunc vero a ſola grauiori cerebri commotione & concuſſione proficiſci ſolet.

## XV.

Ex iis itaque, quæ haſtenus in hanc ſententiam ediſſerui, ſatis opinor clarum manifeſtumque eſſe, quo iure apoplexia affectus grauis truculentusque appelletur. Quotquot enim ea, imprimis ſi fortior fuerit, percelluntur, breui admodum temporis interuallo naturæ concedunt, & vix horas viginti quatuor ſuperant. Et quamuis HIPPOCRATES attonitum ſeptem diebus interire arbitretur y) id tamen non de alia, quam de leniori intelligo apoplexia, atq; in mea etiam ſententia variis Medicorum ſententiis



tiis confirmor. CÆLIVS quippe AVRELIANVS graviore Apoplexiæ tertium diem constituit, atque NENTERVS z) exemplum feminæ, quæ ex fortiori apoplexia sub finem tertii diei obiit, tanquam singulare enarrauit. Vtique vero hic apoplexiæ gradus in oculis animoque habere decet, cum, quæ cum grauioribus symptomatibus, & respiratione difficiliore coniungitur, vehementius semper portendat periculum, quam quæ iisdem destituitur. De vtraque autem valet sententia, quam iam olim tulit HIPPOCRATES, qua vehementiorem plane non, debilem vero difficulter solui existimat, aa) Neque minus & ipsæ causæ, si diligentius expendantur, iudicium acuent, vt de periculo certius constet, cum longe grauius afferat, quæ febribus acutis, epilepsiæ & læsionibus capitis maioribus accedere solet apoplexia, quam quæ ex leuioribus causis exoritur. Triplici autem exitu terminari solet. Vel enim perfecte desinit, quod in Apoplexia paululum fortiori rarissime contingit, vel si superatur, alium morbum relinquit, vel ipsam denique mortem arcessit. Quibus itaque indiciis hæc quodammodo prænosci queant, breuiter exponam. Atque ex vitæ salutisque signis, de quibus initio dicere decreui, primas tenent respiratio aliquantum libera, pulsusque, & faciei color, qui a naturali parum recedit, & motus sensusque paulatim redeuntis vestigia; quæ vtique omnia euentum minus funestum pollicentur. Pari etiam modo animum erigunt naturales sanguinis euacuationes, quæ quum suppressæ antea fuerint, nunc instaurantur, quemadmodum iam HIPPOCRATES bb) largiorem hæmorrhoidum fluxum, alii menstruum fluorem cc) alii vteri hæmorrhagiam dd) apoplexiæ optimo fuisse remedio prodiderunt. Nonnunquam etiam in ptyalismum, & fluxum oris lymphaticum, qualem luc venerea laborantes

z) *Fundam. Medic. Cap. de Apopl.* aa) *Seçt. II. Aph. 52.* bb) *Coac. Prænot. Lib. VII. Seçt. II. thes. 3. p. 905.* ex editione, quæ cum HOLLERII & JACOTII amplissimis commentariis *Lugd. Gall. 1576. in fol. prodiit.* cc) *ZACVT. LV-SITAN. de Princ Med. Histor. Lib. X. Obs. 33.* dd) *Ephem. Nat. Cur. Dec. 1. Ann. 9. & 10. p. 366.*



rantes post inunctionem mercurialem, aut infantes dentitione difficili affecti, experiuntur, salutari cum euentu vertitur, *ee*) eandemque abscessu in crure sinistro per *μετάσασιν* producto feliciter a natura superatam eruditissimus BORRICHIVS memorat. *ff*) Quod si attonitus vena incisa aliquantum rectius valeat, & respiratio pulsusque melior reddatur, magna profecto salutis spes superest, ut optime PROSPER MARTIANVS doctissimus HIPPOCRATIS interpres notatum reliquit. Si liquida assumpta non per nares & os resiliunt, sed penitus delabuntur, si acriter vellicatus aut punctus æger aut tandem intensa voce compellatus palpebras mouet, & labia quodammodo comprimit, si sudor leni præcipue in apoplexia manat multus, æquabilis calidus, leuans, itemque vrina multa & crassa excernitur, alui fluxus *gg*) vehementiores etiam ab initio vomitus *hh*) oriuntur, omnia hæc meliora portendunt. Magnam salutis spem præsidiumque in feбри superueniente HIPPOCRATES collocavit. *ii*) At vero HOLLERIVS, vbi HIPPOCRATIS locum in Coacis prænotationibus commentariis suis illustrat, parum sibi ab ea pollicetur, neque VRATISLAVIENSES viderunt vllum per febrim restitutum, licet in permultis pulsum febrilem obseruauerint. *kk*) Quotquot vero HIPPOCRATIS sententiæ fidem habent, non tamen de vera huius febris indole consentiunt. Febrim lentam non intelligi vel ex iisdem Coacis præfagiis satis liquet, vbi ea adueniens mortifera esse iudicatur. *ll*) FORESTVS de feбри ardente explicat, MARTIANVS esse eam ex ephemerarum genere putat,

*ee*) SENNERT. *Parx. Lib. I. Part. II. c. 33.* BARBETTE *Prax. I. c. 2.* & DECKER. *in notis ad b. l.* *ff*) apud WEPFF. *Hist. Apol. pag. 510.* *gg*) BOERHAAV. *Aph. 1017.* *hh*) Breslauer Natur- und Kunst- Geschichte Herbst-Quart. 1717. p. 389. und Winter-Quart. 1718. p. 524. *ii*) Vid. *Seçt. VI. Aph. 51. & Coac. Prænot. Seçt. II. Lib. VII. th. 4. pag. 907.* *kk*) *Hist. Merb. Vratisl. Ann. 1702.* Cum quibus & alii consentiunt in den Nat. und Kunst- Geschichte. W. D. 1718. p. 524. *ll*) *Lib. II. thes. 5. τα ἐξαίφνης ἀποπληκτικὰ, λελυμένως ἐπιपुरετήναντα, χρόνω ὀλέθρια*, vbi JACOTIVS in Comment. vocem *λελυμένως* solutionis in modum, recte ad sequentem referendam putauit.



putat, magnam requiri BOERHAAVE, *mm*) minus vehementem, morbo tamen proportionatam BERGERVS *nn*) contendit, cuius & mihi præ reliquis placet sententia, quoniam si initio statim, ubi robur corporis aliquantum sibi adhuc constat, maxime in pituitosa apoplexia excitetur febris, eius ope id forsan efficitur, ut sanguis lentus & viscidus, in vasculis cerebri non rite progrediens, aucto liquidorum motu dissolui, atque protrudi paululum queat. Inter signa denique salutaria retulit CÆLIVS AVRELIANVS, si partes quædam spasmodice i. e. saltu errante agitentur. Paucissimis tamen tam felicibus esse contingit, ut salui plane atque incolumes hoc ex morbo eluctentur. Plures qui ad vitam redeunt, quasdam morbi reliquias adhuc circumferunt, ex quibus grauioris, ex quo emerferunt, periculi semper reminiscantur. Aliis enim pedes epidrosi perpetua madent, alii de sensuum vitiis, partium resolutione, artuum tremore, spasmo cynico, flatibus & borborygmis in abdomine assiduus querelas mouent. Alii perpetim ex leuissima etiam causa, imo & sine causa lacrimantur, alii omnem memoriæ vim perdidierunt, ut ne minimorum quidem recordari queant, & fere repuerascant. Omnium autem frequentissime, inprimis in phlegmatica apoplexia paralysis relinquitur, & nunc quidem omnium ceruici suppositarum partium, quæ paraplegia appellatur, & raro euanescit, sed semper memoriæ iudiciiue, & motuum læsiones coniunctas habet, & soporosos hebetes tremulos, timidos, & vertiginosos efficit, *oo*) nunc vnus tantum lateris, & frequentius quidem sinistri quam dextri, & hemiplegia dici solet \*) nunc vnus tantum partis, & paralysis particularis, aut paresis vocatur. Atque

*mm*) *Aph. de cognosc. & cum morb.* §. 1017. *nn*) *Diff. de Apopl.* §. 15.

*oo*) BOERHAAV. *l. c.* §. 1018.

\*) Admiratione dignum est, quod a tribus Italiæ Medicis, LANCISIO, de mortibus subitan. VALSALVA de aure humana & MORGAGNI in *Aduersar. Anatom.* obseruatum fuit, in hemiplegia nunquam hemisphærium cerebri eius lateris, quod in corpore relaxatur, esse affectum, sed in hemiplegia dextri lateris cerebri latus sinistrum, in sinistri vero lateris paralysis, dextrum cerebri segmentum, vitium aliquod capere.



que hanc medicamentis idoneis, tempestiue & mox post apoplexiæ decessum vsurpatis, & per aliquot hebdomades continuatis esse sanabilem nonnullis exemplis Celeberrimus SCHACHERVS, Ordin. Medic. in Academ. Lips. Decanus perpetuus, atque Therapiæ Prof. Primar. Patronus atq; Præceptor meus, ætatem pie deuenerandus cum priuatim de hoc affectu exponeret, confirmauit. Aliquando apoplexia in epilepsiam, quæ nonnullis salutaris fuit, aut grauem melancholiam mutatur. Quod si vero intra tres vel quatuor dies nec perfecte desinit, nec remittit, nec in paralyfin conuertitur, vt plurimum iugulat. Mortem denuntiant stertor magis magisque ingrauescens, & in pituitosa, spuma, quæ in ore collecta comparet pp) quæ tamen probe a saliuâ illa viscida, quam superius non sine saluari euentu profluere commemorauimus, distinguatur. Spuma non nisi parua, nec adeo copiosa prodit, & ex imo quidem pectore paulatim sursum fertur, & sensim sensimque augetur, adeo vt in nonnullis etiam per nares & os excreta fuisse dicatur. Neque minus funestum prædicunt euentum tremor partium, facies cadauerosa, sudor frigidus guttatim hærens, partium præcipue superiorum, cum angustis pectoris consociatus qq) oculi nebula quadam infecti, ex quibus infaustum signum petitur. Denique non nisi summum vitæ periculum præsagire licet, si errhino in nares insufflato ægrotans non sternutat, neque titillationem quandam persentiscit, si vena incisa nullus sanguis profilit, si post venæ sectionem nullo modo leuatur, imo si post eandem res in deterius labantur, rr) si clyster, vtut minori copia iniectus iterum effluit, si sphinctere resoluta alius sponte delabatur, si leuior apoplexia magis magisque ingrauescit, si pectus subinde attollitur, conuulsionum violentia concussum, atque in sanguineis ipsum etiam caput conuulsionibus agitur. De pulsu adhuc habeo, quæ paucis moncam, ne medicus in errorem se induci patiatur, atque ex eius conditione neglectis reliquis iudicium ilico

---

pp) HIPPOCR. Sect. II. Aphor. 43. FOREST. Obs. X. 74. qq) Εὐ τοῖσιν ἀποπληκτοῖσιν ἐπὶ τῇ δυσφορίᾳ τῷ πνεύματος ἰδρῶς ἐπιγενόμενος θανάσιμον HIPPOCR. Coac. Sect. II. Lib. VII. thes. 4. Conf. LOMMII Obs. Medic. p. 73. & MICHAEL OPP. pag. 372. rr) Vid. CELS. Lib. III. c. 28



ilico ferat. Non raro enim accidit, ut fortibus admodum & validis ictibus arteriæ ad vitæ usque exitum micent. Imo observatum fuit a nonnullis in parte resoluta, & paralyti affecta maiorem fuisse pulsus impetum, quam in membris aliis. In primis vero pulsus, qui ex parvo in magnum mutatur, aucta sensim sensimque magnitudine, rem fere conclamata esse denuntiat. Tandem ii omnes, qui superato tam atroci morbo ad vitam sanitatemque redierunt, facile data occasione in eundem recidunt, atque tunc longe difficilius, & maiori cum vitæ periculo eluctantur. Neque enim cuius tam felici esse contingit, ut illi apud GRUBELIUM ss) mulieri, quæ quinquies licet attonita feliciter tamen raro admodum exemplo restituta fuit. Qui antea liberati levi de causa, vel sine occasione lacrimantur, tt) & torpidi, stupidi que manent, de motus sensusque vigore admodum deiecto, ipsiusque imminuta vi memoriæ & linguæ quædam impotentia crebras querelas mouent, & frequentiori tentantur vertigine, ii quidem omnes, siquem leuiorem etiam errorem, in vitæ victusque ratione admiserint, pristino iterum periculo, & grauiori damno exponuntur.

## XVI.

ratio morbi  
antis.

Postquam igitur de indole atque origine morbi, varioque eius euentu satis pro instituti ratione egi, nunc ad extremum constituta ordinis lege, de ipsa eius curatione quædam adiacere constitutum habeo, qua cum laboranti subuenire valetudini, tum factam eam tectamque conseruare, vel tueri queamus. Atque ut de priori primo loco edisseram, summa openiti decet medicum, ut in tempore aduocatus, mature atque tempestiue, ubi spes aliqua salutis adhuc superest, de idoneis remediis cogitet, antequam radices ille agit, & adultior factus nulli amplius medicinæ locum relinquit. Quando vero attonitum animam iam agere primo suo accessu videt, tum quidem fatius foret, ab eodem penitus abstinere, ne remedia alias præstantissima in suspensionem quandam, ipsaque ars in odium, & inuidiam adducerentur; At enim vero, cum ita ferat

ss) Eph. N. C. Dec. II. Ann. 8. pag. 101. tt) Quod in tribus a se observatum esse scribit BAGLIVVS Opp. p. 76.



ferat nostri consuetudo seculi, nihil ipsi eorum prætermittendum erit, quæ ad redintegrandam valetudinem alias pertinere putat, quamlibet frustra illa fore animus facile prælagit, ne officium defuisse, & humanam neglexisse salutem videatur. Ante omnia igitur curæ cordique habeat, ut ægrotus in loco temperato, & lucido potius, quam tenebriciso, ac ceruice non decliui & supina, nec tamen plane erecta collocetur. In lecto reponi eos vetant nonnulli, quod in eodem facilius ad somnolentiam, quam sellis inclinent. Qua in re tamen parum momenti situm esse arbitror, in primis, ubi summa infirmitas lectum postulat. Id modo obseruandum erit sedulo, ut pedes vel plumis vel integumentis a frigore satis defendantur, atque hoc fortè humores ad partes inferiores magis magisque inuidentur. Quibus rite decenterque factis Medicus magna cura atque diligentia eo respiciat, ut turbatus sanguinis circuitus tempestiue instauretur, atque id, quod cerebri fibrillas comprimit, ad partes magis remotas, per reuulsionem, ut in scholis dici solet, reuocetur, atque ex corpore educatur, deinceps ægrotus ex profundo illo somno variis excitetur irritamentis, & deniq; sanguis æquali iterum flumine per corpus distribuatur, atq; caput & nerui roborentur. In his enim omnem morbi curationem esse sitam prudentiores dudum perspexerunt. Plurimam proinde spem valetudinis in sanguinea apoplexia ostendit venæ sectio, mox principio mali sine mora maturæque instituenda, quæ ad hunc affectum superandum magna semper vbiuis terrarum in existimatione fuit, atque cum ipsa a natura, quando suo ex ingenio varias ad soluendum morbum hæmorrhagias excitat (§. 14.) comprobatur, tum ab omnis æui præstantissimo quouis Medico, tanquam præsens & efficax remedium prædicatur. Huius enim ope fit, ut, quando vasa, quæ tumida ante & distenta fuerunt, a mole humorum quadantenus liberantur, ad tonum illa, & systolen suam redeant, eoque contentum propellere sanguinem iam minus compressum & magis mobilem, maiori vi atque impetu possint, quo non modo liberior huius progressio & circuitus, sed ipsis etiam vasis iterum se pro viribus constringendi facultas restituitur, ne amplius expansione sua cerebri fibrillas comprimant, & coarctent. Quamuis autem de copia emittendi sanguinis



nihil certo definiri queat, quæ ex vasorum plenitudine, habituque pulsus, & conditione virium, non modo præsentium, sed quales antea etiam fuerunt, quam malum ingrauesceret, & reliquis optime determinatur, multum tamen interest, ut largius paululum educatur, vel venæsectio pro re nata iterum iterumque repetatur. Quoniam igitur in iis capitis morbis, qui sanguinis congestioni, vasorumque distensionem debentur, quæ in vicinis partibus instituitur, venæ incisio fructuosa præ aliis & salutaris existimatur *tt)* primo quidem, more in nostris terris recepto vena aperiatur brachii, & sanguis largiori copia ad octo vel decem uncias detrahatur, vel si certis ex causis fieri id nequeat, iterum iterumque venæsectio sed moderatior repetatur, aut, quod ego longe convenientius esse iudico, postquam aliqua portio sanguinis per venam brachii euacuata fuit, deinceps quædam iugularium externarum fecetur, quarum incisio a tot præclaris & multa artis exercitatione sat probatis medicis SEVERINO *uu)* BOERHAAVENIO *xx)* LANCISIO *yy)* FREINDIO *zz)* BERGERO *a)* III. PRÆSIDE *b)* VRATISLAVIENSIBVS *c)* etiam atque etiam commendata fuit. Et quamvis nonnulli sectionem earundem statim a principio suscipiant, neque id alienum a ratione videatur; tamen verendum erit aliquando, ne in iis, quibus copiosissimus per vasa sanguis fertur, aut per inferiorum partium spasmos cruor ad caput propellitur, maior humoris copia eo inuitetur. Quod si igitur eas incidere placet, collum antea leniter constringatur linteo, quod sectione facta statim detrahatur. Ita sanguis sine ligatura, sponte manabit. In horum locum alii & imprimis HILDESHEIM *d)* venas frontis linguæ & narium, hasque postremas CALDERA etiam ab HEREDIA substituunt, alii ex eadem causa narium scarificationem paulo profundiore, quæ olim Aegyptiis in usu fuit, admodum

---

*tt)* HOFFMANNI *Med. System. Tom. III. Sect. II. c. 9. Theor. 10.*  
*uu)* *Chirurg. efficac. P. II. c. 16.* *xx)* *Aphor. 1030.* *yy)* *de mort. subit. Lib. II. c. 5.* *zz)* *Comment. in libr. Epidem. Hippocr. pag. 113.* *a)* *Diss. de Apopl. §. 17.* *b)* *l. c.* *c)* *Natur- und Kunst- Gesch. Winter- Quartal. 1718. p. 524.* *d)* *Spicil. Anat. VI. c)* *Tribunal. Med. p. 239.*



dum extollunt. Quæcunque autem secetur vena, vnum habeo, quod adhuc moneam, ampliori eam incidendam esse foramine, vt sanguis eo promptius atque liberius decurrere queat. JOANNES denique BAPTISTA MORGAGNI, Illustris Vir, atque ex anatome magnam nominis gloriam consecutus, venarum occipitalium incisionem in omnibus affectibus soporosis eximie collaudauit, eoque præsidii genere se egregio cuidam Medico magnam tulisse opem prodidit. f) Quoniam enim hæ venæ intra cranium cum utroque laterali sinu communicant, instituta earum sectione, sanguis, quem in sinus conuecturi erant, auertitur, atque hinc reliqui sanguinis, qui per eosdem sinus progreditur, copia minuitur aliquantum, motus autem non sine emolumento augetur. Quia vero earundem venarum trunci profundius semper siti, & nonnunquam in plures, minoresque ramos diuisi reperiuntur, cucurbitulas, & crebras, altasque incisiones anteferendas putat. Atque ex his intelligitur, qua ratione ZACVTVS LVSITANVS desperatæ apoplexiæ cucurbitula bis in occipite profunde scarificata succurrere potuerit. g) Neque alio etiam consilio JOANNES CATHERWOOD Britannus, h) arteriotomiam, quæ antiquioribus seculis tanto in pretio fuit, postmodum autem, vt sunt remediorum etiam vicissitudines, in desuetudinem, saltem inter Germanos, venit, adeo prædicat, & reliquis remediis omnibus anteponit, si ex arteria quæ supra os quoddam incedit, sanguis paulo largiori copia detrahatur. Quum vero omnes capitis arteriæ proxime ossi incumbant, temporalem ei negotio omnium maxime idoneam esse existimat, eiusque sectionem longe minori fieri periculo, quam reliquorum vasorum, maiori autem emolumento contendit. Certissimum enim & præstantissimum remedium pronuntiat, quod magnæ semper opi iis fuerit in morbis, qui largiorem sanguinis euacuationem postulant, vt apoplexia pulmonumque inflammatione, quibus sine vlllo detrimento medeatur, quod cum rationibus, tum e-

H 2

xem-

f) *Aduersar. Anatom. VI. pag. 108.* g) *Med. Hist. Princ. Lib. I. Hist. 33.* h) In libello quem patrio sermone conscripsum edidit: *New Methode of curing the Apoplexy.*



xemplis curatorum comprobat. *i)* Atque cum rationibus non adeo destituta videatur hæc sententia, optandum utique esset, ut idem experimentum nostris etiam in terris a prudentioribus Medicis repeteretur. At vero inter nostrates sæpius plebis opinioni & consuetudini inde a multis receptæ seculis esse obtemperandum, nihilque, quod mulierculis nouum & inusitatum videtur, a circumspecto viro sine existimationis læsione suscipi posse, merito dolemus. Quæ a suppressis hæmorrhoidibus oritur Apoplexia, in ea hirudinum usum aliqui insigniter extollunt, quibus non sine optimo successu usus esse nonnullos CALDERA ab HEREDIA *k)* & VALESCVS *l)* commemorant. *m)* In iis qui ab externis capitis iniuriis in apoplexiam incidunt, quamvis aliquantum sanguinis iam profusum fuerit, multum tamen & ipsa venæ sectio adiumenti affert, quam nec in phlegmatica prorsus omittendam, sed mature atque circumspecte esse instituendam, cum pluribus atque grauissimis viris arbitror. Verum hæc ipsa, quam serosam vocamus, aliud etiam remedium exposcit, cuius beneficio pressio materiæ pituitosæ a capite auertatur, & lentor in cerebro totoque corpore attenuetur, & in alia loca deriuetur. Quare si reliqua consentiunt, eo animo vomitus mature exciteretur, eoque magis, si ventriculum multis

*i)* Conf. & LOEW. ab ERLSFELD *Med. Pract. Cap. de Apoplexia*, ubi arteriotomiam non sine felici exitu interdum a se fuisse celebratam fatetur.

*k)* *Tribun. Med. p. 239.* *l)* *Philon. Lib. I. c. 9.*

*m)* Singulari quodam euacuandi sanguinis artificio usus esse apud WEPFERVM commemoratur miles quidam, qui cum imminentem Apoplexiam non sine causa metueret, a venæsectione autem, quam ipsi complures Medici commendauerant, ex terrore in utero matris impresso, abhorreret, vitæ tamen amans esset, eottabis bubulis, s. flagellis hamatis, quibus taxilli, vncinuli & aculei ferrei innectuntur, dorsum egregie laceffuit. Quo exercitio, motu, excandescencia, sanguis non solum ex dorso prorupit, sed etiam nares referatæ eundem largius profuderunt, idque optato cum leuamine, ut exclamandi causam habuerit:

Scorpius atque fabæ nostra fuere salus.



multis cruditatibus cibisque nondum digestis repletum esse constet. Quamuis enim a nonnullis vsum emeticorum plane damnatum esse in hoc morbo non ignorem, quorum bene multos Cl. HOFFMANNVS Pater enumerat *n)* tamen si auctoritatibus esset decertandum, facile foret, plures huc accersere, qui eorum virtutes ipso rerum vfu & experientia satis cognouerunt. Quippe per vomitum tanquam vehementissimæ commotionis impetum, viscera alia, ipsumque caput commouentur, & concutuntur, quo euenit, vt materia viscida cum tubulis obstructis expelli nunc & sui quodammodo iuris fieri queat. Esse enim tum neruorum ministerio, tum per interiorē ventriculi tunicam a cerebri meninge productam, inter vtraque hæc viscera arctiorem nexum atque consensum, ex Anatome omnibus patet. Quare dum ventriculus conuellitur, ipsæ etiam meninges, & cerebrum contremiscunt quasi, & agitantur, suoque impulsu sanguinis per angustissimos canales progressum adiuuant. Ex magno autem emeticorum numero CHRISTIANVS LANGIVS sal vitrioli, siue Giliam Paracelsi tanquam singulare & propemodum diuinum remedium prædicat *o)* in iusculo vel aqua stillatitia dissolutum & exhibitum. Quod, cum ab alijs etiam laudari videam, commode in vsum vocatur; Quamuis Tartari emetici non minores esse virtutes, si sex eius grana aquæ stillatitiæ admixta infunduntur, facile vt credam adducar. Infusum Croci Metallorum cum vino factum præter RIVERIVM *p)* BAGLIVVS admodum idoneum esse mitigando morbo, & vtramque in pituitosis facere paginam asserit, quo singulis mensibus hausto nonnullos plane ab apoplexia liberatos vidit *q)* Interest autem hoc loco moneamus, dosin, quam vocant, emeticorum aliquantum esse augendam, eaque,

H 3

perin-

*n)* de Method. medend. pag. 103. *o)* in Miscell. suis curiosis pag. 9. vbi summa eius elogia extant, quæ repetit WEDELIVS in Amoen. Mat. Med. Lib. II. Sect. I. c. 9. p. 295. qui & ipse vitriolata emetica non sine successu præparari docet, p. 300. Prædicant etiam Sal Vitrioli ANGELVS SALA internario Emeticorum c. 4. p. 499, & VRATISLAV. Hist. Morb. Vratisl. Ann. 1702. pag. 34. *p)* Prax. Med. Lib. I. c. 2. *q)* Opp. p. III.



perinde vt reliqua medicamenta omnia liquidiori forma esse propinanda, ac ne fluida & acris materia asperam arteriam pulmonesque ingrediatur, & varias turbas excitet, requiritur, vt aliqua adhuc deglutendi facultas superfit, atque os etiam commode aperiri queat. Vtut vero in serosa apoplexia aliquem emeticis locum concefferim, in sanguinea tamen ea potius omittenda esse cum aliis existimo, cum ex eorum vsu sanguis maiori copia atque impetu ad caput propellatur. Quod si tamen & in hac Venæsectio, & alia remedia sed in cassum adhibita fuerunt, nihil esse causæ puto, quo minus ad excitandum ægrotantem vomitorio sine timiditate vtamur. Qui vero ab illo in phlegmatica etiam apoplexia adeo abhorrent, in iis, quæ aluum fortius subducunt spem suam collocant. Quæ etsi nulla ratione reiicio, clysmata tamen acriora & stimulandi vi prædita, rectius præferri arbitror. Maxime autem placent, quæ ex fol. Sennæ Tabac. Colocynthide, Rad. Pyrethr. lr. nostr. sale communi sale gemmæ, sale ammoniaco electuar. hieræ picr. Extr. Hellebor. nigr. Extr. trochisc. alhand. felle tauri inspissato. Tart. emet. syrup. emet. Angeli Salæ croco Metallorum, huiusque infuso cum vino parari solent, quibus commode ea adduntur, quæ stomachum atque caput roborant, flatusque discutiunt, rad. ari, Imperat. Sigilli Salom. Helen. Galang. Hb. menth. meliss. pulegii origani rorismar. salv. rutæ maioran. satirej. thymi centaur. min. fumar. card. bened. fl. lauendul. spicæ, lilior conuall. semen anisi foeniculi, carui, anethi baccæ laur. iuniper. mel anthosat spiritus vini camphor. ex quibus ea tamen, quæ fortius intestina irritant, maiori semper copia admisceantur, oportet. Video commendari a nonnullis præcipue clysmata, quæ ex vrina sani hominis cocta sunt, nihilque oleorum admixtum habent, quibus virtutes istorum admodum retundi illi putant. Omnis vero clyster, ne facile iterum effluat, minori quantitate iniiciatur, atque iterum iterumque repetatur. Ad immittendum eum satius est syringa vti, quam vesica, quum illius ope longe altius intestinis recipi queat. Suppositoria, ea enim præteriri non debent, locum habent præcipue,  
 si cly-



si clysmata diutius iusto retineantur, aut retineri plane non possint. Alterum in hoc morbo medici officium esse supra monui, ut de ægrotante ex somno profundiori excitando cogitet. Atque hanc etiam laudem clysteres sustinent, si in vtraque apoplexia confestim in subsidium vocentur, cum in sanguinea id simul præstare videantur, ut sanguis extra vasa delapsus in eadem iterum, quantum fieri potest, resorbeatur. At vero & aliis irritamentis uti solent, qui attonitos excitare conantur, quæ tamen ut plurimum sine fructu esse merito deploramus. Quid enim expectes a concussione corporis, quæ plethoricis plus detrimenti quam salutis affert? Quis ab acclamatione & crinium vellicatione facile excitabitur? Singulare enim fuit, quod HEERIVS refert, quendam, cum ex ebrietate stupidus sine mente sine sensu per tres fere dies iacuerat, tracta & agitata venerabili barba ad se rediisse. Et quænam quæso spes salutis erit in spiritibus neruinis, serpilli matricariæ, spiritu vini camphor, Aq. Reg. Hung. spirit. theriacali, oleo succini, eiusque balsamo, & aliis balsamis, linimentis, oleis aquis, & quocunque nomine appellentur, quæ temporibus, vertici fronti, & nuchæ illini & affricari a mulierculis solent? Maiori fructu, inprimis in serosa apoplexia errhina naribus obiciuntur, quibus sternutatio, & aliquando ipse ægrotans excitatur. Quum vero per vehementiorem concussionem affluxum humorum ad caput augeant, non nisi euacuationibus factis securus esse eorum usus videtur. Ex solidis conveniunt, Euphorbium, Hellebor albus, Piper, vitriol. alb. ad gr. V. vel VI. in aqua maioran. & spiritu lilior. conuall. solut. pulv. castor, fl. lil. conuall. pulv. tabac. maioran. sem foeniculi. Aliis præferendum esse censet Illustris PRÆSES r) quod ex salis volat ammon. sicc. 3j & olei destill. maioran. gt. X. paratur. Commode autem flatu per calamum scriptorium in nares iniiciuntur, atque ex nonnullorum mente maiori, quam fluida virtute valent. Ex fluidis maxime commendauerim spiritum salis ammoniaci cum calce viua paratum,

---

r) Diss. de sternutat. usu & abusu.



ratum, admixto oleo rutæ, cariophyll. vel essent. castorei, sal volatil. urinæ, cornu cerni, succini, anglicanum, aliosque spiritus volatiles & oleosos, quæ naribus vel instillantur, vel turundis affusa immittuntur. A nonnullis maximo habetur in pretio oleum succini, cui præstantissimas, & plane específicas inesse virtutes, si nares eo inungantur, putant. At vero longe efficacius salia hæc urinosa, atque oleum etiam succini excitant, si lingua fauces & palatum iis probe perfricentur. Quo consilio & alii Extr. salviæ cum camphora, vel extr. rutæ castor, angel. mel. anthos. theriac. oleum. lavend. spir. vini camphor. usurpant. Sunt etiam qui herbas resoluendi discutiendique virtute præditas salv. thym. organ. serpill. rad. sigill. Salom. Ir. Florent. bacc. lauri junip. fl. sambuci, ex aceto acriori coctas admixtis sale ammoniaco, & spiritu vini camphorato in cataplasmatibus formam redigunt, eodemque caput diligenter fouent, nec mediocrem sibi exinde opem pollicentur. Præterea vero cataplasmata quæ ruborem excitant, ex rad. pyrethr. raphan. nigr. sinapi pip. Indico & murar. plantis pedum applicare iuvat, aut si hæc minus placeant, congruum erit, maxime in apoplexia pituitosa, plantis pedum, suræ, femoribus, aliisque remotioribus membris vesicantia adinouere. Emplastra autem ampliora & acriora requiruntur, ut eo promptius operentur, atque ægrotantem excitent. Neque minus frictiones partium, cum pannis asperis calidioribus, vel sale etiam & aceto squillitico aut spiritu ueruino factæ sæpius repetantur, quas non sine usu esse experientia docuit. Quanquam pannorum loco a quibusdam aspera quædam excutia commendata fuit. Neque pediluua, quæ humores ad inferiores partes simul reuocant, irrita fore existimarim. Partium vero ligaturæ, quas nonnulli prædicant, cum sanguinis circuitum turbent, atque ita efficiant, ut ille maiori copia atque impetu ad partes alias progrediatur, dolor autem alia etiam ratione excitari queat, non admittendæ videntur. Quin potius placet mihi vrticatio a Celeberrimo VATERO proposita s) propterea, quod vrticarum aculei poros

s) Diff. de remediis Apoplexiæ Selectioribus.



ros nostri corporis intimius subeunt, nervosque agitant vehementius, adeoque exquisitiorem doloris sensum efficiunt. Nec cucurbitulas siccas plane prætermittendas puto, siue cruribus, siue brachiis, siue scapulis, siue nuchæ ipsique capitis vertici affigantur, quas FRACASTORIVS apoplexia correptus indicasse fertur, sed non intellectus periit. *f)* Verum ubi hæc omnia plerumque non sufficiunt, aliquando ad ignem ferrumque Medici progrediuntur. Qui mitius agunt, caput abradis capillis, instrumento illo lotricum atque sartorum calefacto quod nostrales ein Bügel-Eisen vocant, complanare solent *t)* ut hac ratione fibræ nerueæ duræ matris per futuras cranii traiectæ, blando ferramenti motu constringantur, & ad motum oscillatorium adactæ sensum reuocent, atque humorem ipsum, qui vasa cerebri atque meningum ægre permeat, aliquantum propellant. Ignitum ferrum, quod Græci cauterium dicunt, iam olim in hoc morbo prædicauit AETIVS, si coronali commissuræ inuratur, sentitque cum ipso CL. CRAVSIVS, qui idem posteriori capitis parti admotum, tanquam subitæ efficacæ auxilium collaudat. *u)* Atque præter hos ipse etiam de re chirurgica optime meritus SEVERINVS memorat *x)* LVDOVICVM de LEONIBVS duos lethargicos iam fere exanimes hoc cauterio ad vitam reuocasse. Primus autem, quoad ego quidem compertum habeo, nouam & a nemine ante excogitatam iis vtendi rationem iniit DOMINICVS MASTICHELLI, Italus, quam peculiari commentatione explicuit & figura illustrauit, variisque eorum qui reliquis omnibus frustra tentatis huius remedii vsu ad se redierunt, exemplis, comprobatum reddidit. *y)* Habetque consentientem Illustrationem

I

frem

*f)* SENNERT. *Prax. Lib. I. P. II. c. 33. p. 665.* RIVER. *Prax. Med. Lib. I. c. 2.* ZACVT. LVSIT. *de Med. Princ. Hist. Lib. I. Hist. 31.* *t)* Vid. WEDEL. *Prax. Clin. Exempl. de morbis capitis & JVNCKERI Consp. Med. Theor. Pract. Tab. de Apopl.* Medicum quendam iuniorem qui ad discutiendos inueteratos capitis dolores, instrumentum hoc crebrius commendauerat, hanc ob causam D. Bügeleisen appellatum esse LENTILIVS refert in *Jatromnem p. 464.* *u)* *Diss. de Apopl.* Vid. & RHAS. *Tr. de Cauter.* *x)* *Lib. II. Pyrotechn. P. I.* *y)* Liber ipsius de *Apoplexia* patrio sermone editus prodiit *Romæ 1709. 4.* appendix vero *Patauii 1715.*



strem LANCISIVM, qui efficaciam instrumenti per Romana No-  
focomia celebrati admodum extol'it. z) Nimirum ex mente eius  
ad suscitandos attonitos inuritur ferrum ignitum mediæ plantæ par-  
ti, inter calcem, & partem eminentiorem, quam den Ballen vo-  
cant, sitæ, idque fit non alia ex causa, quam quod eo loco fibræ  
copiosiores neruolæ tendinæ, ac membranosæ coeant, summamque  
sensus teneritudinem efficiant, vt hinc stimulus ille eo facilius, in  
profundiori etiam somno percellere corpus, atque in ipsis etiam  
cerebri membranis constrictionem quandam ad agendum propel-  
lendumque sanguinem excitare queat. Quum præterea etiam do-  
lor ille non mox sopiatur, sed aliquantisper perseueret, donec cru-  
sta secedat paulatim, & separetur, patet hac ratione ob diuturnio-  
rem doloris sensum, humores neruorumque fluidum continenter  
agitari, ipsumque sanguinis impetum ad inferiores partes magis re-  
uelli. Vbi omnia rite sunt peracta, escharaque superest, emolli-  
tur primo per butyrum recens, vel oleum lini, vnguentum dial-  
thæ, simileque, donec crusta secedat. Postea vlcus vnguento  
digestiuo, aut melle rosato cum spiritu vini aliisque mundatur, at-  
que demum vel iisdem, vel vnguento saturnino, vel carptis siccis  
consolidatur. Quo tamen loco prætereundum non est, initio mali,  
& satis mature adhibendum esse cauterium, ne si diutius eius vsus  
differatur, re iam conclamata, quam ostenderat, spes decollet. V-  
tinam vero ferrum atque ignem non adeo extimescerent Germani  
nostrates, vt & ad eos sanandos remedio tam præstanti atque ge-  
neroso vti liceret. Denique vt sanguis qui in cerebro coit, dissol-  
uatur, & æquali iterum flumine per corpus procedat, & capitis va-  
scula iterum aliquantum roborentur, neruinis & spirituosis, atque  
iis, quæ spasmos leniunt, maxime opus erit. Quo nomine inpri-  
mis intelligo spiritum Ceraforum nigrorum, lauendul. lil. conuall.  
meliss. spir. sal ammon. simplicem & anisatum, lumbric. terrestr.  
theriacal. camphor. corn. cerv. rectific. eboris, aliosque eius generis  
plures, liquorem Corn. Cerv. succin. sal. volat. oleos. Effent. rorism.  
Castor. Imperator. scord. Vincetox. Pimpin. alb. Cariophyll. He-  
len.



len. Gent. succin. Elæosacch. anis. lauend. mac. citr. salv. Balsam Peruv. Balf. vit. Hoffm. quæ cum aqua maior. lauend. salv. Apopl. Epilept. & maxime omnium aqua lil. conuall. non admodum spirituosæ, & sæpius a floribus destillata, cui mirifica spasmos sopiendi, & resoluendi virtus a nonnullis tribui solet, potionum vel alia liquida forma commode propinantur. Ex iis vero cum sint nonnulla, quæ sanguinem nimium agitant & commouent, ea in plethoricis locum non habent, vel parca saltem dosi, ea cum aliis quæ temperandi vim habent, permixta conueniunt. Sufficiunt eo tempore aqua genuina lil. conuall. ceras fl. til. meliss. serpilli salv. spirit. vitriol. & nitr. dulc. cum quibusdam Essentiis moderatioribus quas iam memorauimus. Si quæ tamen spirituosioria e. g. liq. corn. cerv. succin. spir. lumbrie terrestr. aut Corn. Cerv. aliaque adiacere animus esset, minima vt iam dixi dosi, id concedenda fore existimarem. Iisdem etiam potiunculis ex numero solidorum cinnabarina, itemque pulv. lumb. terrestrium conueniunt, quorum virtutem in superandis morbi attoniti reliquiis non esse contemnendam Viri docti pridem obseruarunt. In feruore atque ebullitione sanguinis, itemque si febricula coniungatur diaphoreticis fixis, temperantibus cinnabarinis, atque nitrosis nihil prius, nihilque antiquius habeatur. Si liquida iam intra cerebri cauitates effusa fuerint, subita mors plerumque consequitur. Si quid tamen ad eam auertendam tentare lubet, eo est respiciendum, vt sanguis larga Venæsectione purgationeque alui & clysmatibus in sua vasa vi vitæ resorbeatur. Quamobrem vtramque hanc euacuationem necesse foret, ad maximam copiam, quam ægrotans toleret, instituere, & pro re nata, si iis minuantur symptomata, repetere, atque ipsam etiam acrimoniam emendare, quod posterius nulla re felicius, quam per saponacea chymica fieri Illustris BOERHAAVE contendit. aa) De externis læsionibus nihil est, quod hoc loco vltius dicam, cum eas prouide prudenterque Chirurgorum arte tractandas esse per se constet. Denique postquam excitati iterum ad se redierunt attoniti, quouis modo a somno, si ad eum procliues fuerint, arceantur. Et dici profecto non potest, quantum eo tempore ad auertendam somnolentiam valeant vesicatoria pedibus brachiisque applicata, vt diuina propemodum remedia appellari mereantur.



## XVII.

ruatio.

Quoniam vero apoplexia tam facile reuertitur, & ubi accesserit, tam præsens vitæ periculum ilico affert, officium ægrotantis postulat, ut eam victus viuendique rationem ineat, qua longe propelli morbus, & corpus defendi & incolume conseruari queat. Quare & ego operæ pretium facturus mihi videor, si, qua ratione id optime effici existimen, breuiter adhuc exponam. Nemo autem in semine sinapi vel coriandri, aut radice verbasici maris certo quodam die effossa *bb)* aut essentia castorei spem fiduciamque collocet, in quibus nihil esse quod tanto morbo medeatur, sed omnem hanc curationem pro causarum corporumque diuersitate rectius institui, intelligentiores pridem cognouerunt. Quamobrem ii, qui sanguine abundant, largioribus in pede venæ sectionibus, vel singulis æquinoctiis vel si rei necessitas id postularet, ter vel quater singulis annis vtantur, easdemque senes etiam sexaginta licet vel septuaginta annorum, si ex lautiori victu & vita otiosa, multum sueci sanguinisque conficiunt, identidem repetant, neglecta quæ inter multos, etiam ex prudentioribus, adhuc circumfertur, inepta atque anili, de sanguine tanquam thesauro iis temporibus non minuendo, fabula, quæ cum ab aliis tum maxime ab illustribus Halensium medicis HOFFMANNO *cc)* STAHLIO *dd)* ALBERTI *ee)* atque COSCHWIZIO *ff)* erudite profligata fuit. Et profecto quantum sanguinis seni eiusmodi plethorico detrahi queat, præter alios suo nos docet exemplo DOMINICVS VECCHIOTTUS, Vir septuagenario minor habitus obesioris & sanguine abundans carniū amans, & corpus laboribus parum exercens, qui cum per mensem circiter capitis grauitate & somnolentia maxime affectus proxime imminentem metueret apoplexiam, ex improviso nocte quadam largiori narium hæmorrhagia correptus vndecim sanguinis libras profudit, nec ex ea quandam virium iacturam fecit, sed ab illo capitis veterno se valde levatum sensit, & cum quindecim intervallo dierum sanguinis iterum quatuor libras emitteret, plane conualuit *gg)* Qui  
fluxio-

*bb)* Ephem. N. C. Dec. III. Ann. 9. 10. Obs. 179. *cc)* Diss. de præstantissimo venæsectionis ad vitam longam usu, & alibi. *dd)* in variis dissertat. de venæsectione scriptis, quæ nuperrime Germanice versæ prodierunt. *ee)* Progr. de venæsectione senum. *ff)* de Venæsect. ultra 50. atat. annum continuanda. *gg)* de mort. sub. Lib. II. c. 5.



fluxionem hæmorrhoidum salutarem antea experti, ex suppressione eius in apoplexiam inciderunt, iis non incongruum erit, hirudines circa anum, applicare. Præter has vero sanguinis missiones singulis circiter mensibus ventriculum & intestina imo totum corpus a sordibus suis & inquinamentis per aluum repurgare decet. Quorum tamen in remediorum usu eam requiri puto cautionem, ut omnia vitentur, quæ intestinorum tunicas magis violant, & inflammationem in iisdem producant, cum blandiora aluum satis sollicitent, clementerque expurgent. Et sanguineis quidem ac cholericis lenissima conveniunt, quæ ex sennæ foliis aut rhababaro pari solent. Quo loco etiam habeo Extr. Panchym. Croll. cum extractis amaris resoluendi vi præditi e. g. Extr. Pimp. alb. Gent. rubr. Vincetox. absinth. helen. centaur. min. card. bened. fumar. cochlear. coniunctum, quibus non inconcinne gummata abstergentia, ammoniacum galbanum sagapenum, & reliqua admiscentur. Nec plane etiam vinosa infusa, quæ ex herbis aperientibus & solventibus, itemque Rhabarb. fol. senn. Helleb. nigr. salibusque abstergentibus constant, contemnenda hic videntur. In mucosis autem cum eadem hæc infusa, tum ea, quæ ex Jalappa, Helloboro nigro, Aloë sunt, medicamenta locum inveniunt, vel si leniora sufficere putemus, manna & cremor tartari spei expectationique satis respondebunt. Nec video, quid veret, quo minus in iis quibus multa in ventriculo cruditatum est sentina, si reliqua recte se habeant, vomitorio stomachus levetur. Vesicatoria etiam pedibus subinde applicata, & fonticuli opem iis afferunt, qui ob phlegmaticam corporis temperiem, serbosa quondam apoplexia laborauerunt. Vtrique autem apoplexiæ pediluvia conveniunt, vesperi nonnunquam repetita & ex aqua tantummodo fluviatili facta, cui interdum furfur triticeum, aut flores chamomillæ non incongrue adduntur. Internis usibus ad roborandum caput & spasmos auertendos tonica ut salvolat. oleos. sylv. liq. Corn. Cerv. succin. mixtur Ton. nerv. Stahlî interpositis temperantibus & antispasmodicis, itemque cephalica ut pulegium serpillum, rosmarinus, salvia, majorana fl. lavendul. semina quatuor carminativa, & varia ex his præparata inseruiunt. Quæ ex herbis modo memoratis fieri solent infusa, atque loco Theæ quotidie matutinis pomeridianisque horis sorbillantur, ventriculum roborant, & intestina eluunt, sanguinisque motum æqualem & liberum conseruant, atque ipsi etiam cerebro nervisque opem afferunt, multisque adeo modis sanitatem adiuvant, & morbum repellunt. Maximam quoque laudem meretur balsamus vitæ Hoffmannianus,



nianus, parca dosi, vel solus, vel cum spiritu salis ammon. anisato ex vino, vel eiusmodi, quale iam commemoravi, infuso, vel prandii cœnæque tempore ex iusculo assumtus. Atque idem, si externa quoque remedia adiungere placet, reliquis balsamis Apoplecticis, quorum farragine pro dolor ! laboramus, palmam facile præripere videtur. Vnum vero superest, quod moneam, omnia hæc spirituoſa, volatilia & aromatica medicamenta, nisi caute circumſpecteque uſurpentur, in plethoricis plus damni, quam emolumenti afferre. Neque vlla erit ab his omnibus incolumitas expectanda, nisi etiam, quæ ad victum & reliquam vitæ consuetudinem pertinent, leges, accuratius custodiantur. Quamobrem omnis viterur cibus largior, imprimis vespertinus, itemque crassus viscidus, flatulentus, leguminosus, acetaria, cerevisiæ crassæ, acidæ, feculentæ, facile fermentescentes, itemque ea quæ multum nutrimenti suggerunt, vel ob pinguedinem & suarum cohæſionem partium infarctus generant, nec facile iterum e corpore proſcribuntur. Quibus sanguis non adeo est copiosus, nec ad ebullitionem proclivis, iis parciorẽ vini uſum libenter conceſſerim, dummodo non eiusmodi quod sulphure efferò caput infeſtat, aut acidum, sed temperatius, quod per colatoria facile traicitur, ut mosellanum album Gallicum Canariense Hispanicum, Hungaricum ſeligatur. Nec vigiliæ, quæ corpus exhauriunt, atque caput & cerebrum eneruant, nec ſomnus nimius, unde corpus relanguescit, & copioſior pituita generatur, conueniunt. Ipſo autem ſomni tempore cauendum est, ne caput decliniori ſitu iaceat. Omnia ea quæ calorem in corpore intenſiorem excitant, & ſanguinem inſigniter commovent, ſanguineis, frigidum autem & pluuiosum aerem itemque ſubitam frigoris & caloris viciffitudinem, quibuslibet eſſe fugienda, ex ſuperioribus liquet. Atque ſi aëris temperies ita ſit comparata, ut facile apoplexia inde exſuscitari queat, omnino, qui eandem metuunt, videant, ne inebriante & ſpirituoso potu abutantur, aut multis ventriculum alimentis onerent, ſed partes inferiores totumque corpus ab aere defendant, neque ſine neceſſitate in publicum prodeant, nec tamen in conclavi nimium calefacto, & fervente agant. Motus placidus rheda vel pedibus quotidie inſtitutus magnæ multis opifuit. Atque id ſibi inprimis dictum putent ſeniores, qui ſanguine affluunt, ne cum ad tolerandam vitam corpus antea multis laboribus exercuerunt, nunc cuticulam curaturi, agilem hanc vitam cum otio, atque lautiori victu commutent. Qui curis & mœrori indulgent, iis maxime peregrinationes, aëris ſalubrioris mutationem animum tranquillum, & ab omnibus ſollicitudinibus



diuibus liberum, hominum societates concentusque musicos & quæ alia mentem depressam & afflictam erigunt, commendanda puto. Qui languore quodam & debilitate capitis se affectos sentiunt, ii valetudini suæ consulant, atque meditationibus nimis diutius atque ad seram noctem protractis nuncium remittant, nec in minutioribus literis, inprimis candelæ ope legendis oculos fatigent, aut corpus in gyrum agitent. Ex medicamentorum numero vaporosa, & capiti infensa, anodyna, narcotica, ex absinthio confecta, itemque suauiori odore prædita, vt moschus & ambra sedulo vitentur. Atque vt paucis multa complectar, omnium eorum, quæ superius in causarum classen retuli habeatur ratio, vt eorum vel intermissione, vel declinatione corpus a novo morbi insultu sartum tectumque conseruetur. Arque simili etiam ratione morbi cum quibus apoplexia frequenter coniungi solet vt hypochondriaca atque hysterica affectio, itemque salutarium hæmorrhagarum suppressio, suis quilibet remediis persanentur, de quibus tamen hic data opera exponere non attinet & ab instituti mei ratione prorsus alienum videtur.

---

NOBILISSIMO & DOCTISSIMO  
**DNO. CANDIDATO**  
 S. D. P.  
**FRIDERICVS HOFFMANNVS.**

**E***A est, doctissime Dne. Candidate, virtutis natura atque indoles, vt alios quam facile in sui amorem alliciat atque perducatur, id quod mihi contigisse fateor, quamprimum ingenii Tui præstantia & virtutum cultura ex docta abs Te elaborata dissertatione, ex mutuo & docto inter nos habito colloquio, atque etiam ex examinibus, quæ summa cum laude atque approbatione ordinis nostri sustinuisti, innotuit. Non quidem in nostris scholis educatus es, noluit tamen præceptorum, quibus usus es doctrinis, vnice adherere, multo minus in eorum verba iurare. Humilia enim ingenia nihil rectum vel verum putant,*



putant, nisi quod a suis præceptoribus traditum acceperunt, ut de  
 ullo eorum dubitare religioni ducant, quum tamen prima sapientiæ  
 & veritatis pars sit, tam diu de omnibus dubitare dogmatibus, do-  
 nec tanta euidentiâ & demonstratione eniteant, ut nulla dubitatio  
 amplius locum habere possit. Sed Tu more omnium ingeniorum, quæ  
 perspicua sunt, quæ iudicio pollent & entia imaginationis a veris con-  
 ceptibus distinguere norunt, libero & a præiudiciis vacuo atque at-  
 tento animo, aliorum & nostra quoque scripta & placita perlegisti  
 & quæ perspicua, demonstrata & ad explicationem rerum difficilium  
 & ad praxin proficua & apta inuenisti, in usum Tibi cooptasti. De quo  
 satis abundeque testatur Tua perdocta disputatio, in qua, raro exem-  
 plo, nihil immutavi, nec verbum quoddam adieci. Præterea non  
 possum non in aliorum exemplum indefessum laborem cum insigni  
 Tua animi modestia & candore iunctum laudare. Quæ quum ita  
 sint, non possum, quin de Te ac Tuis profectibus & patriæ & rei-  
 publicæ medicæ & litterariæ multa fausta ominer atque promittam  
 Ceterum ex animo de studiis ad maturitatem & optatum finem per-  
 ductis gratulor; Benignissimum Numen porro Tuis laudatissimis in  
 praxi medica conatibus annuat, & felicissimos successus lar-  
 giatur. Vale. Dab. Prid. Id. Julii  
 c131cccxxviii.

**A** Scendis cathedram, summa cum laude recedis,  
 Virtutemque TVAM, concomitatur honor  
 Hinc viridem laurum, ceu præmia digna laboris  
 Jam TIBI cum fructu, magnus Apollo dabit.  
 Et sic extremum tetigisti culmen honoris  
 Gratulor ex animo: commoda plura precor.

*Ita ex singulari affectu, Domino Doctorando, affini  
 suo suauissimo, animo applaudit sincero*

**JO. WILHELMI, D.**  
 Conf. Luccauiens.